Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/deecclesiaetstat0000mich

DE ECCLESIA ET STATU

JURIDICE CONSIDERATIS.

THEOLOGICAL
LIBRARY
O. F. M.
SANTA BARBARA
NO. 17947

AUCTORE

LUDOVICO DE HAMMERSTEIN, S. J.

H2939

„Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis.“
Matth. 16, 18. 19.

PRAEMITTITUR

EPISTOLA ENCYCLICA „IMMORTALE DEI“

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI L[illegible]

DE CIVITATUM CONSTITUTIO[illegible]

d. d. 1. Novembris 1[illegible]

235.25
H224

Trani[illegible]

July[illegible]

Cum Permi[illegible]

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

TREVIRIS.

SUMPTIBUS TYPOGRAPHIAE PAULINIANAE [DASBACH & KEIL].

Imprimatur.

Treviris, die festo S. Thomae Aquinatis, 7° Martii 1886.

Michael Felix,

Episcopus Trevirensis.

Index systematicus.

Pag.

Praefatio XI

Encyclica „Immortale Dei" S. D. N. Leonis XIII. d. I. Nov. 1885 . . . . 1—25

1. Ecclesia rebus hujus quoque vitae utilissima (pag. 105) 1
2. Vetus calumnia a S. Augustino refutata 1
3. Calumnia recenter repetita. — „Novum jus" 2
4. Civitatis ratio optima ea, quae evangelicis doctrinis respondet. — Encyclicae scopus 2
5. Homo natura sua socialis 2
6. Auctoritas in quavis societate necessaria 3
7. Haec a Deo ortum ducit (p. 27, 76) 3
8. Certa reipublicae forma non necessaria. — Princeps Dei imaginem referre debet (p. 84) 3
9. Princeps non sui, sed civium causa imperium tenet (p. 94) . . 3
10. Imperio justo libenter obeditur 4
11. „Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit" (p. 224) . . . 4
12. Status ut Status debet colere Deum (p. 106) 4
13. Non licet Statui esse indifferenti erga varias religiones (p. 106, 109) 5
14. Etiam Status ultimo hominis fini inservire debet (p. 104) . . . 5
15. Vera religio facile dignoscenda (p. 109) 5
16. Christus fundavit Ecclesiam universalem (p. 35, 69) 6
17. Deus ipse Ecclesiae magistratus assignavit (p. 35, 69) 6
18. Ecclesia ob finem nobilissima societas, eaque perfecta, a Statu distincta, independens (p. 73, 74, 119, 141, 144) 7
19. Christus Ecclesiae contulit potestatem triplicem (p. 35) 7
20. Ecclesia, non Status, religioni praeest 7
21. Ecclesia libertatem sibi semper vindicavit (p. 144) 7
22. Principes supremam Ecclesiae potestatem agnoverunt (p. 144) . 7
23. Principatus civilis Ecclesiae 8
24. Deus constituit duas potestas supremas (p. 146, 148) 8
25. Ordinata intercedat inter utramque colligatio (p. 117, 119) . . 8
26. Qualis colligatio, ex fine utriusque colligendum (p. 117, 119, 125) 8
27. Sacra Ecclesiae, civilia Statui subsunt 9

Pag.

28. In Concordatis Ecclesia facilis (p. 160, 210) 9
29. Descripta reipublicae forma optima, sancte servanda (p. 105, 130) 9
30. Utilissima est teste S. Augustino (p. 105, 130) 10
31. Concordia inter sacerdotium et imperium Europae saluti fuit (p. 105, 130) 11
32. Quae si mansisset, majora bona exorta essent (p. 105, 130) . . 12
33. Sed „novum jus“ ortum a saeculo XVI. (p. 130) 12
34. Hinc liberalismus et indifferentismus (p. 104) 13
35. Hinc Ecclesia spernitur, ab instituendis populis arcetur . . . 13
36. Hinc matrimonium, bona cleri, Ecclesiae independentia invaduntur 14
37. Hinc Ecclesia a Statu avulsa, fides violata 14
38. Hinc dimicationes, in quibus Ecclesia plerumque succumbit . . 14
39. Hinc Ecclesia variis modis opprimitur 14
40. At populum, non Deum, fontem jurium statuere absurdum (p. 27, 76, 91) 15
41. Hoc ducit ad seditiones et ad principum jura neganda (p. 91, 224) 15
42. Religiosus indifferentismus re atheismus est (p. 109) 15
43. Hinc licentia opinionum et scriptorum (p. 109) 15
44. Ecclesiam ab actione vitae excludere magnus error (p. 105) . . 16
45. Ecclesiam Statui subjicere magna injuria (p. 141, 144) 16
46. Gregorius XVI. eadem rejicit 16
47. Sic et Pius IX. Prop. 19, 39, 55, 79 Syllabi (p. 141, 144) . . 17
48. Quibus rejicitur liberalismus 17
49. Et Ecclesiae libertas inculcatur custodienda (p. 73, 141, 144) . 18
50. Et optatur in rebus mixtis concordia (p. 166, 210) 18
51. Nulla reprehenditur ex variis reipublicae formis (p. 84) 18
52. Neque quod populus particeps sit reipublicae (p. 224) 18
53. Ecclesia lenis et facilis, libertati non inimica 18
54. Tolerantia falsarum religionum interdum licita (p. 205) 18
55. Ad fidem catholicam nemo cogatur 18
56. Ecclesia licentiam rejicit, sanam libertatem probat 19
57. Ecclesia libertatem tuita est, progressui favet (p. 130) 19
58. Ecclesia progressui favendo temporalia ad coelestia dirigit . . 20
59. Conscientia sui officii S. Pontificem urget, ut de memoratis moneat 20
60. Catholicorum officia. — In opinando standum judicio Sedis Apost. 21
61. Liberalismus per se rejiciendus, licet persecutio Ecclesiae sit pejor 21
62. Officia in agendo privata. — Pietas in Ecclesiam promovenda in subditis 21
63. Officia Catholicorum urbana; institutio adolescentium 22
64. Officia Catholicorum publica 22
65. Quomodo se habuerint hac in re primi Christiani 22
66. Catholici christianam reddant rempublicam 23
67. Varia varie tractanda, concordia servanda et obedientia erga S. Pontificem et Episcopos 23
68. Errores vitandi; pacifice de opinabilibus disputandum 23
69. Errores habendi naturalismus et rationalismus 24

Pag.
70. Ecclesiae auctoritas in vita privata et publica servetur (p. 203) 24
71. Qui in opinabilibus dissentiunt non criminandi 24
72. Quae potissimum servanda ephemeridum scriptoribus 24
73. Conclusio. — Benedictio Apostolica 25

DE ECCLESIA ET STATU.

Fundamentum 26

1. Deus fons omnium rerum, quae sunt, 2. maximeque juris. 3. Rousseau. 4. Kant. 5. Hegel. 6. Refutatio pantheismi universi. 7. Puchta et Stahl agnoscunt Deum ut fontem juris. 8. Conclusio practica et divisio hujus libelli.

Liber primus.

Jus divinum (positivum et naturale).

I. De Ecclesia.

Adversarii nostri. Status causae et controversiae 33

1. Visibilemne fundavit Christus Ecclesiam? Certamque Superioribus a se constitutis largitus est potestatem juridicam? 35

1. Apostolorum electio. 2. Quomodo Apostoli se habuerint erga fideles (Geffcken). 3. Quid objecerit nobis Superintendens Koehler. 4. Quomodo Apostoli se habuerint erga auctoritatem civilem. 5. Potestas sacramentalis. 6. Quomodo St. Paulus intellexerit Ecclesiae naturam. 7. Apostoli Episcopis transmiserunt potestatem suam, ideoque 8. jam ab initio Ecclesia erat hierarchica. 9. Praedictio Ecclesiae visibilis in veteri testamento. 10. Quid Christus intellexerit voce regni sui (parabolae de zizaniis, de bonis et malis piscibus, de veste nuptiali, de virginibus prudentibus et fatuis). 11. Quid sibi velint verba: „Regnum meum non est de hoc mundo“ (Geffcken, Bluntschli, Koehler). 12. Christus legislator. 13. Parabola vineae, 14. boni pastoris; Petro traditur grex. 15. Alia effata Christi. 16. Matthaeus 16 et 18. 17. Quid adversarii, imprimis Geffcken, respondeant; 18. quid ad Matth. 18; 19. quid ad Matth. 16. (Testimonia Patrum); 20. quid ad verba: „Obedire oportet Deo magis, quam hominibus“; 21. quid ad Concilium Apostolorum. 22. Conclusio. 23. Quomodo Martens utatur sacra Scriptura, 24. quomodo Hinschius. 25. Quid Koehler objecerit. 26. Quomodo Hase se extricet. 27. Summum principium potestatis ecclesiasticae.

Pag.

2. Estne Ecclesia catholica, quae nunc est, eadem quam fundaverit Christus? . 69

1. Ecclesia Christi debuit perseverare; sed non perseverat, nisi in Ecclesia catholica. 2. Ecclesia catholica debet habere aliquam originem; sed alia origo assignari nequit, nisi fundatio per Christum. 3. Directe ostenditur, utramque esse eandem.

3. Quaenam sunt igitur generatim Ecclesiae catholicae jura? 71

1. Quadruplex limitatio. 2. Ecclesia est societas perfecta. 3. Objectiones.

II. De Statibus.

. Origo Statuum 76

a. Prima familia 77

1. Patris potestas ex jure naturae. 2. Ex jure naturae sufficienter probatur haec potestas. 3. Ambitus potestatis paternae, 4. praesertim in familia independenti. 5. Diversa jura patris, dependentis a potestate civili, et non dependentis.

b. Novarum familiarum dismembratio 80

1. Num extinguitur dismembratione potestas patris antiqui in novas familias? 2. Non igitur semper ex contractu neque 3. ex territorii concessione est explicanda potestatis publicae origo, sed 4. descensus per generationem est modus primarius hujus originis.

c. Ulterior evolutio post patriarchae mortem 84

1. Deus primo loco intendit regnum universale (Koehler). 2. Contractus est modus secundarius originis potestatis publicae. 3. Haec origo dissolvitur in elementa sua juridica.

d. Estne potestas civilis immediate a Deo? 87

1. Rationes, quibus hoc probatur. 2. Refutatur Moulart. 3. Encyclica S. P. Leonis XIII.

2. Finis et jura Statuum generatim sumpta 91

1. Limitatio geographica. 2. Divisio potestatis inter plura subjecta. 3. Summum principium; Status non restringitur ad jus reddendum. 4. Utilitas non sufficit ad jus probandum. 5. Statuum est supplere; 6. ideo rejiciendus despotismus, et 7. socialismus, v. g. 8. in liberorum educatione (Cousin) et 9. successione haereditaria (Code civil, Le Play). 10. Limitatio Statuum per Ecclesiam.

3. Subditorum relationes 102

a. Obligatio obediendi 102

b. Jus resistendi 102

Pag.

4. Religiosa officia Statuum 104

a. Indifferentismus non admittendus 104

1. Status debet curare religionem, quia religio in se est bonum commune, 2. quia est medium ad alia bona communia obtinenda, 3. quia debet partes totius populi agere relate ad Deum (Suarez), 4. Geffcken contra indifferentismum.

b. Verae religionis promotio. — Brachium saeculare 108

1. Praenotanda. 2. Status acatholicus debet inquirere in veram religionem et fieri et manere catholicus. 3. Brachium saeculare, aliaeque sequelae practicae.

c. Errorum et criminum religiosorum impugnatio 109

1. Generatim. 2. Crimina religiosa Statui punienda. 3. Imprimis haeresis et schisma punienda.

d. Quid sentiant Ecclesia et viri ecclesiastici de religiosis Statuum officiis 113

1. Tempus antiquum (S. Joannes Evangelista, S. Augustinus; S. Leo M., S. Gregorius M.); 2. Medium aevum (Card. Hergenroether); 3. Tempus recens (Applicatio ad constitutiones hodiernas; Gregorius XVI., Pius IX.)

III. Utriusque potestatis conjunctio.

1. Cui debetur hegemonia? 117

1. Non potest fieri perfecta coordinatio. 2. Ecclesiae deberi hegemoniam ostendunt effata Christi, 3 traditio et Ecclesiae doctrina, 4. universalis Ecclesiae natura, 5. finis utriusque potestatis. 6. Quae ex ordine inverso sequantur.

2. Jus „circa sacra", quod Status sibi vindicant 131

a. Jus circa sacra non probatur 132

1. Dove; 2. Blumtschli; 3. Ahrens; 4. Roenne; 5. Hinschius; 6. Friedberg.

b. Jus circa sacra probari nequit 136

1. Non revelatione, 2. non jure historico, 3. non jure naturae.

c. Jus circa sacra non est 138

1. Nam Ecclesiae competit hegemonia. 2. Unde nulla sunt jura, quae ex illo derivantur (jus supremae inspectionis, placeti regii, recursus ab abusu etc.). 3. Solvitur objectio et magis stabilitur veritas. 4. Encyclica et 5. Syllabus Pii IX. 6. Conclusio.

Pag.

3. Potestas Ecclesiae directa et indirecta 144

1. Axioma. 2. Quaenam res sint mere ecclesiasticae, mere civiles, mixtae. 3. Cur induxerit Christus dualismum potestatis ecclesiasticae et civilis. 4. Stabilitur systema potestatis indirectae, 5. rejicitur systema potestatis directae et 6. mere directivae. 7. Summa. 8. Potestates ordinis et jurisdictionis distinguuntur.

4. Potestas jurisdictionis Ecclesiae, spectata relate ad Statum 150

a. In genere 150

1. Jurisdictio in foro externo ejusque partes. 2. Jurisdictio in foro interno et diversarum jurisdictionum inter se comparatio. 3. Ecclesiae jus publicum, 4. jus criminale, 5. jus privatum, 6. normae procedendi. 7. Conclusio.

b. Magisterium Ecclesiae 155

1. Magisterium pars imperii seu potestatis jurisdictionis. 2. Objectum ejus directe veritates religiosae, indirecte veritates profanae. 3. Obligat non tantum ubi infallibile est. 4. Subjiciuntur ei tum singuli tum Status. Unde: 5. scholae, etiam Statuum, subsunt Ecclesiae; 6. limites inter Ecclesiam et Statum assignandi sunt per Ecclesiam; 7. in aliis etiam rebus Status ab Ecclesia docendi sunt, quid liceat, quid non. 8. Urquhart de bellis relegandis. 9. Allocutio Leonis XIII. de pace inter Germaniam et Hispaniam restituenda.

c. De immunitatibus 166

1. Ecclesiae potestas immunitates constituendi. 2. Immunitates partim juris divini (Geffcken). 3. Definitio et partitio. 4. Immunitas personalis (Bluntschli, Liberatore), 5. realis et localis. 6. Quousque hodie valeant immunitates.

d. De jure matrimoniali 170

1. Religiosa matrimonii natura. 2. „Matrimonium“ civile est nullum; 3. perniciosos habet effectus; 4. Savigny et Bismarck de matrimonio civili. 5. Status non potest restringere libertatem matrimonium ineundi. 6. Potestas Statuum in matrimonia infidelium. 7. Potestas Statuum circa effectus civiles matrimonii.

e. De familia et de scholis 181

1. Generatim. 2. Jus parentum in educationem. 3. Quid competat Statui. 4. Refutantur Danton et Cousin. 5. Refutantur Trendelenburg, Stahl, Meyer. 6. Quid competat Ecclesiae. 7. Encyclica *„Jam pridem“* Leonis XIII. ad Episcopos Borussiae. 8. Considerationes practicae. 9. De obligationibus parentum.

f. De Congregationibus, sodalitatibus, piisque institutis 191

1. Congregationes religiosae, 2. sodalitates laicorum, 3. instituta pia; 4. quid Statui his in rebus competat.

Pag.

g. De sepultura 193

1. Ejus natura religiosa; 2. subest jurisdictioni ecclesiasticae; ex vano objicitur valetudinis ratio; 3. Statuum hac in re injustitiae.

h. De bonis externis 195

1. Ecclesia habet jus acquirendi et possidendi, 2. tributa imponendi, 3. expropriandi, 4. libere administrandi bona sua; 5. alii effectus libertatis ecclesiasticae. 6. Ecclesia potest creare personas morales; 7. unde sequitur, Statum non posse „saecularizare". 8. Num legitime possideantur bona ecclesiastica „saecularizata"; 9. maledictio ipsis annexa.

5. Quaenam valeant in extraordinariis rerum adjunctis 203

1. Distinguuntur obligationes positivae et negativae; 2. ambae urgent in statu normali, positivae non semper urgent in statu anormali. 3. Quid tenendum de separatione inter Ecclesiam et Statum? 4. In dubiis Ecclesia adeunda — etiam regi constitutionali. 5. Quid sentiendum de paritate? 6. Quomodo agere soleat Ecclesia.

Liber secundus.

Jus humanum (historicum).

De juris humani natura. Partitio 209

I. De Concordatis.

1. Definitio et locus in systemate. 2. Concordata non simpliciter contractus obligantes, 3. non simpliciter revocabiles per Statum, neque 4. per Ecclesiam. 5. Sententia vera. 6. Concordata de jure privato et de jure publico civili; 7. de jure publico ecclesiastico. 8. Objectiones (Grandclaude). 9. Privilegia dant verum jus relate ad extraneos. 10. Quam nocivum sit jus nominandi Episcopos, gubernio civili concessum. 11. Possuntne Episcopi facere concordata? 210

II. De legitimitatis, quod vocant, principio et de praescriptione.

1. Ecclesia praeter ea, quae habet jure divino, acquisivit alia jure humano. 2. Juxta principium legitimitatis haec non amittuntur, nisi ob justas causas, qualis non est: 3. factum consummatum (fait accompli), neque 4. suffragium universale, neque 5. principium nationalitatis, neque 6. praescriptio. Praenotanda quinque. 7. Probatur, nullam esse praescriptionem in jure publico (Périn, Fénélon) . . . 221

Conclusio 232

Index alphabeticus 233

Praefatio.

Ardet nostris diebus ubique fere terrarum praelium inter regnum Dei, i. e. Ecclesiam catholicam, et potestates civiles, quae ut plurimum ab Ecclesia, vel saltem a principiis catholicis, defecerunt. Maximi momenti est, ut nos Catholici bene teneamus, quam potestatem Ecclesia a divino suo acceperit fundatore, utque simul bene sciamus probare rationibus, hanc potestatem ipsi revera competere.

Duplici huic fini inservit libellus iste. Lingua Germanica ante aliquod tempus prodiit; nunc latine eum exhibemus, additis rebus nonnullis, quibus adversariorum potissimum oppugnationes ansam dederunt.

Brevitati studuimus, obscuritatem speramus evitasse.

Jam transmiseramus libellum ut imprimeretur, quum, ecce, prodit Encyclica *„Immortale Dei miserentis opus“* S. P. N. Leonis XIII., quae plurimum in rebus, quae ad Ecclesiam et Statum pertinent, versatur. Paratissimi eramus ad emendandum, quodcunque forte in iis, quae scripseramus, minus consonum videri posset principiis a Christi Vicario stabilitis. Sed, quod maximo nos affecit gaudio, nihil ejusmodi invenimus. Putavimus potius, posse elucubrationem nostram non inopportune inservire tanquam commentarium quendam hujus supremae Institutionis. Quapropter opportunum duximus, integrum Encyclicae textum libello nostro praemittere, et quidem in numeros distinctum, quo facilius possit per decursum opusculi nostri allegari.

Benedictionem libello impertiat Dominus noster Jesus Christus, sanctae Romanae catholicae atque apostolicae Ecclesiae fundator.

Wijnandsrade in Hollandia die festo Purificationis
B. M. V. 1886.

Auctor.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII.

EPISTOLA ENCYCLICA

DE CIVITATUM CONSTITUTIONE CHRISTIANA.

VENERABILIBUS FRATRIBUS
PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS
CATHOLICI ORBIS UNIVERSIS
GRATIAM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS

LEO PP. XIII.

VENERABILES FRATRES

Salutem et Apostolicam Benedictionem.

1. Immortale Dei miserentis opus, quod est Ecclesia, quamquam per se et natura sua salutem spectat animorum adipiscendamque in caelis felicitatem, tamen in ipso etiam rerum mortalium genere tot ac tantas ultro parit utilitates, ut plures majoresve non posset, si in primis et maxime esset ad tuendam hujus vitae, quae in terris agitur, prosperitatem institutum. — Revera quacumque Ecclesia vestigium posuit, continuo rerum faciem immutavit, popularesque mores sicut virtutibus antea ignotis, ita et nova urbanitate imbuit: quam quotquot accepere populi, mansuetudine, aequitate, rerum gestarum gloria excelluerunt.

2. Sed vetus tamen illa est atque antiqua vituperatio, quod Ecclesiam ajunt esse cum rationibus reipublicae dissidentem, nec quicquam posse ad ea vel commoda vel ornamenta conferre, quae

suo jure suaque sponte omnis bene constituta civitas appetit. Sub ipsis Ecclesiae primordiis non dissimili opinionis iniquitate agitari christianos, et in odium invidiamque vocari solitos hac etiam de caussa accepimus, quod hostes imperii dicerentur: quo tempore malorum culpam, quibus esset perculsa respublica, vulgo libebat in christianum conferre nomen, cum revera ultor scelerum Deus poenas a sontibus justas exigeret. Ejus atrocitas calumniae non sine caussa ingenium armavit stilumque acuit Augustini: qui praesertim in *Civitate Dei* virtutem christianae sapientiae, qua parte necessitudinem habet cum re publica, tanto in lumine collocavit, ut non tam pro christianis sui temporis dixisse caussam, quam de criminibus falsis perpetuum triumphum egisse videatur.

3. Similium tamen querelarum atque insimulationum funesta libido non quievit, ac permultis sane placuit civilem vivendi disciplinam aliunde petere, quam ex doctrinis, quas Ecclesia catholica probat. Immo postremo hoc tempore *novum*, ut appellant, *jus*, quod inquiunt esse velut quoddam adulti jam saeculi incrementum, progrediente libertate partum, valere ac dominari passim coepit.

4. Sed quantumvis multa multi periclitati sunt, constat, repertam numquam esse praestantiorem constituendae temperandaeque civitatis rationem, quam quae ab evangelica doctrina sponte efflorescit. Maximi igitur momenti atque admodum muneri Nostro apostolico consentaneum esse arbitramur, novas de re publica opiniones cum doctrina christiana conferre: quo modo erroris dubitationisque caussas ereptum iri, emergente veritate, confidimus, ita ut videre quisque facile queat summa illa praecepta vivendi, quae sequi et quibus parere debeat.

5. Non est magni negotii statuere, qualem sit speciem formamque habitura civitas, gubernante christiana philosophia rem publicam. — Insitum homini natura est, ut in civili societate vivat: is enim necessarium vitae cultum et paratum, itemque ingenii atque animi perfectionem cum in solitudine adipisci non possit, provisum divinitus est, ut ad conjunctionem congregationem-

pe hominum nasceretur cum domesticam, tum etiam civilem, quae suppeditare *vitae sufficientiam perfectam* sola potest.

6. Quoniam vero non potest societas ulla consistere, nisi si aliquis omnibus praesit, efficaci similique movens singulos ad communem propositum impulsione, efficitur, civili hominum communitati necessariam esse auctoritatem, qua regatur: quae, non secus ac societas, a natura propterea que a Deo ipso oriatur auctore.

7. Ex quo illud consequitur, potestatem publicam per se ipsam non esse nisi a Deo. Solus enim Deus est verissimus maximusque rerum dominus, cui subesse et servire omnia, quaecumque sunt, necesse est: ita ut, quicumque jus imperandi habent, non id aliunde accipiant, nisi ab illo summo omnium principe Deo. *Non est potestas nisi a Deo.*[1])

8. Jus autem imperii per se non est cum ulla reipublicae forma necessario copulatum: aliam sibi vel aliam assumere recte potest, modo utilitatis bonique communis reapse efficientem. Sed in quolibet genere reipublicae omnino principes debent summum mundi gubernatorem Deum intueri, eumque sibimetipsis in administranda civitate tamquam exemplum legemque proponere. Deus enim, sicut in rebus, quae sunt quaeque cernuntur, caussas genuit secundarias, in quibus perspici aliqua ratione posset natura actioque divina, quaeque ad eum finem, quo haec rerum spectat universitas, conducerent: ita in societate civili voluit esse principatum, quem qui gererent, ii imaginem quamdam divinae in genus humanum potestatis divinaeque providentiae referrent.

9. Debet igitur imperium justum esse, neque herile, sed quasi paternum, quia Dei justissima in homines potestas est et cum paterna bonitate conjuncta: gerendum vero est ad utilitatem civium, quia qui praesunt ceteris, hac una de caussa praesunt, ut civitatis utilitatem tueantur. Neque ullo pacto committendum, unius ut, vel paucorum commodo serviat civilis auctoritas, cum ad communem omnium bonum constituta sit. Quod si, qui praesunt,

1) Rom. 13, 1.

delabantur in dominatum injustum, si importunitate superbiave peccaverint, si male populo consuluerint, sciant sibi rationem aliquando Deo esse reddendam, idque tanto severius, quanto vel sanctiore in munere versati sint, vel gradum dignitatis altiorem obtinuerint. *Potentes potenter tormenta patientur.*[1])

10. Ita sane majestatem imperii reverentia civium honesta et libens comitabitur. Etenim cum semel in animum induxerint, pollere, qui imperant, auctoritate a Deo data, illa quidem officia justa ac debita esse sentient, dicto audientes esse principibus, eisdemque obsequium ac fidem praestare cum quadam similitudine pietatis, quae liberorum est erga parentes. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.*[2])

11. Spernere quippe potestatem legitimam, quavis eam in persona esse constiterit, non magis licet, quam divinae voluntati resistere; cui si qui resistant, in interitum ruunt voluntarium. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.*[3]) Quapropter obedientiam abjicere et, per vim multitudinis, rem ad seditionem vocare est crimen majestatis, neque humanae tantum, sed etiam divinae.

12. Hac ratione constitutam civitatem, perspicuum est, omnino debere plurimis maximisque officiis, quae ipsam jungunt Deo, religione publica satisfacere. — Natura et ratio, quae jubet singulos sancte religioseque Deum colere, quod in ejus potestate sumus, et quod ab eo profecti ad eumdem reverti debemus, eadem lege adstringit civilem communitatem. Homines enim communi societate conjuncti nihilo sunt minus in Dei potestate, quam singuli: neque minorem, quam singuli, gratiam Deo societas debet, quo auctore coaluit, cujus nutu conservatur, cujus beneficio innumerabilem bonorum, quibus affluit, copiam accepit.

---

1) Sap. 6, 7.
2) Rom. 13, 1.
3) Ibid. 13, 2.

13. Quapropter sicut nemini licet sua adversus Deum officia negligere, officiumque est maximum amplecti et animo et moribus religionem, nec quam quisque maluerit, sed quam Deus jusserit, quamque certis minimeque dubitandis indiciis unam ex omnibus veram esse constiterit: eodem modo civitates non possunt, citra scelus, gerere se tamquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abjicere, aut asciscere de pluribus generibus indifferenter quod libeat: omninoque debent eum in colendo numine morem usurpare modumque, quo coli se Deus ipse demonstravit velle.

14. Sanctum igitur oportet apud principes esse Dei nomen; ponendumque in praecipuis illorum officiis religionem gratia complecti, benevolentia tueri, auctoritate nutuque legum tegere, nec quippiam instituere aut decernere, quod sit ejus incolumitati contrarium. Id et civibus debent, quibus praesunt. Nati enim susceptique omnes homines sumus ad summum quoddam et ultimum bonorum, quo sunt omnia consilia referenda extra hanc fragilitatem brevitatemque vitae in caelis collocatum. Quoniam autem hinc pendet hominum undique expleta ac perfecta felicitas, idcirco assequi eum, qui commemoratus est, finem tanti interest singulorum, ut pluris interesse non possit. Civilem igitur societatem, communi utilitati natam, in tuenda prosperitate reipublicae necesse est sic consulere civibus, ut obtinendo adipiscendoque summo illi atque incommutabili bono quod sponte appetunt, non modo nihil importet unquam incommodi, sed omnes quascumque possit, opportunitates afferat. Quarum praecipua est, ut detur opera religioni sancte inviolateque servandae, cujus officia hominem Deo conjungunt.

15. Vera autem religio quae sit, non difficulter videt qui judicium prudens sincerumque adhibuerit: argumentis enim permultis atque illustribus, veritate nimirum vaticiniorum, prodigiorum frequentia, celerrima fidei vel per medios hostes ac maxima impedimenta propagatione, martyrum testimonio, aliisque similibus

liquet, eam esse unice veram, quam Jesus Christus et instituit ipsemet et Ecclesiae suae tuendam propagandamque demandavit.

16. Nam unigenitus Dei filius societatem in terris constituit, quae Ecclesia dicitur, cui excelsum divinumque munus in omnes saeculorum aetates continuandum transmisit, quod Ipse a Patre acceperat. *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.*[1] — *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.*[2] Igitur sicut Jesus Christus in terras venit ut homines *vitam habeant et abundantius habeant*[3], eodem modo Ecclesia propositum habet, tamquam finem, salutem animorum sempiternam: ob eamque rem talis est natura sua, ut porrigat sese ad totius complexum gentis humanae, nullis nec locorum nec temporum limitibus circumscripta. *Praedicate Evangelium omni creaturae.*[4]

17. Tam ingenti hominum multitudini Deus ipse magistratus assignavit, qui cum potestate praeessent: unumque omnium principem et maximum certissimumque veritatis magistrum esse voluit, cui claves regni caelorum commisit. *Tibi dabo claves regni caelorum*[5] — *Pasce agnos... pasce oves:*[6] — *ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.*[7]

18. Haec societas, quamvis ex hominibus constet, non secus ac civilis communitas, tamen propter finem sibi constitutum, atque instrumenta, quibus ad finem contendit, supernaturalis est et spiritualis: atque idcirco distinguitur ac differt a societate civili: et, quod plurimum interest, societas est genere et jure perfecta, cum adjumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat. Sicut finis, quo tendit Ecclesia, longe nobilissimus est,

1) Joan. 20, 21.
2) Matth. 28, 20.
3) Joan. 10, 10.
4) Marc. 16, 15.
5) Matth. 16, 19.
6) Joan. 21, 16-17.
7) Luc. 22, 32.

ita ejus potestas est omnium praestantissima, neque imperio civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo modo obnoxia.

19. Revera Jesus Christus Apostolis suis libera mandata dedit in sacra, adjuncta tum ferendarum legum veri nominis facultate, tum gemina, quae hinc consequitur judicandi puniendique potestate. *„Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.“* [1]) Et alibi: *„Si non audierit eos, dic Ecclesiae.“* [2]) Atque iterum: *„In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam.“* [3]) Rursus: *„Durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem et non in destructionem.“* [4])

20. Itaque dux hominibus esse ad caelestia, non civitas sed Ecclesia debet: eidemque hoc est munus assignatum a Deo, ut de iis, quae religionem attingunt, videat ipsa et statuat: ut doceat omnes gentes: ut christiani nominis fines, quoad potest, late proferat; brevi, ut rem christianam libere expediteque judicio suo administret.

21. Hanc vero auctoritatem in se ipsa absolutam planeque sui juris, quae ab assentatrice principum philosophia jamdiu oppugnatur, Ecclesia sibi asserere itemque publice exercere numquam desiit, primis omnium pro ea propugnantibus Apostolis, qui cum disseminare Evangelium a principibus Synagogae prohiberentur, constanter respondebant: *„Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.“* [5]) Eamdem sancti Ecclesiae Patres rationum momentis tueri pro opportunitate studuerunt: romanique Pontifices invicta animi constantia adversus oppugnatores vindicare numquam praetermiserunt.

22. Quin etiam et opinione et re eamdem probarunt ipsi viri principes rerumque publicarum gubernatores, ut qui paciscendo, transigendis negotiis, mittendis vicissimque accipiendis

---

1) Matth. 28, 18, 19, 20.
2) Matth. 18, 17.
3) II. Cor. 10, 6.
4) II. Cor. 13, 10.
5) Act. 5, 29.

legatis, atque aliorum mutatione officiorum, agere cum Ecclesia tamquam cum suprema potestate legitima consueverunt.

23. Neque profecto sine singulari providentis Dei consilio factum esse censendum est, ut haec ipsa potestas principatu civili, velut optima libertatis suae tutela, muniretur.

24. Itaque Deus humani generis procurationem inter duas potestates partitus est, scilicet ecclesiasticam et civilem, alteram quidem divinis, alteram humanis rebus praepositam. Utraque est in suo genere maxima: habet utraque certos, quibus contineatur, terminos, eosque sua cujusque naturâ caussâque proxima definitos; unde aliquis velut orbis circumscribitur, in quo sua cujusque actio jure proprio versetur.

25. Sed quia utriusque imperium est in eosdem, cum usuvenire possit, ut res una atque eadem, quamquam aliter atque aliter, sed tamen eadem res ad utriusque jus judiciumque pertineat, debet providentissimus Deus, a quo sunt ambae constitutae, utriusque itinera recte atque ordine composuisse. „*Quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt.*“ [1]) Quod ni ita esset, funestarum saepe contentionum concertationumque caussae nascerentur; nec raro solicitus animi, velut in via ancipiti, haerere homo deberet, anxius quid facto opus esset, contraria jubentibus binis potestatibus, quarum recusare imperium, salvo officio, non potest. Atqui maxime istud repugnat de sapientia cogitare et bonitate Dei, qui vel in rebus physicis, quamquam sunt longe inferioris ordinis, tamen naturales vires caussasque invicem conciliavit moderata ratione et quodam velut concentu mirabili, ita ut nulla earum impediat ceteras, cunctaeque simul illuc, quo mundus spectat, convenienter aptissimeque conspirent.

26. Itaque inter utramque potestatem quaedam intercedat necesse est ordinata colligatio: quae quidem conjunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur. Qualis autem et quanta ea sit, aliter judicari non potest,

1) Rom. 13, 1.

nisi respiciendo, uti diximus, ad utriusque naturam, habendâque ratione excellentiae et nobilitatis caussarum; cum alteri proxime maximeque propositum sit rerum mortalium curare commoda, alteri caelestia ac sempiterna bona comparare.

27. Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animorum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter caussam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae: cetera vero, quae civile et politicum genus complectitur, rectum est civili auctoritati esse subjecta, cum Jesus Christus jusserit, quae Caesaris sint, reddi Caesari, quae Dei, Deo.

28. Incidunt autem quandoque tempora, cum alius quoque concordiae modus ad tranquillam libertatem valet, nimirum si qui principes rerum publicarum et Pontifex romanus de re aliqua separata in idem placitum consenserint. Quibus Ecclesia temporibus maternae pietatis eximia documenta praebet, cum facilitatis indulgentiaeque tantum adhibere soleat, quantum maxime potest.

29. Ejusmodi est, quam summatim attigimus, civilis hominum societatis christiana temperatio, et haec non temere neque ad libidinem ficta, sed ex maximis ducta verissimisque principiis, quae ipsa naturali ratione confirmantur.

Talis autem conformatio reipublicae nihil habet, quod possit aut minus videri dignum amplitudine principum, aut parum decorum: tantumque abest, ut jura majestatis imminuat, ut potius stabiliora atque augustiora faciat. Immo, si altius consideretur, habet illa conformatio perfectionem quamdam magnam, qua carent ceteri rerum publicarum modi: ex eâque fructus essent sane excellentes et varii consecuturi, si modo suum partes singulae gradum tenerent, atque illud integre efficerent, cui unaquaeque praeposita est, officium et munus. — Revera in ea, quam ante diximus, constitutione reipublicae, sunt quidem divina atque humana convenienti ordine partita: incolumia civium jura, eademque divinarum, naturalium, humanarumque legum patrocinio defensa: officiorum

singulorum cum sapienter constituta descriptio, tum opportune sancita custodia. Singuli homines in hoc ad sempiternam illam civitatem dubio laboriosoque curriculo sibi sciunt praesto esse, quos tuto sequantur ad ingrediendum duces, ad perveniendum adjutores: pariterque intelligunt, sibi alios esse ad securitatem, ad fortunas, ad commoda cetera, quibus communis haec vita constat, vel parienda vel conservanda datos. — Societas domestica eam, quam par est, firmitudinem adipiscitur ex unius atque individui sanctitate conjugii: jura officiaque inter conjuges sapienti justitia et aequitate reguntur: debitum conservatur mulieri decus: auctoritas viri ad exemplum est auctoritatis Dei conformata: temperata patria potestas convenienter dignitati uxoris prolisque: denique liberorum tuitioni, commodis, institutioni optime consulitur. — In genere rerum politico et civili, leges spectant commune bonum, neque voluntate judicioque fallaci multitudinis, sed veritate justitiaque diriguntur: auctoritas principum sanctitudinem quamdam induit humana majorem, continenturque ne declinet a justitia, nec modum in imperando transiliat: obedientia civium habet honestatem dignitatemque comitem, quia non est hominis ad hominem servitus, sed obtemperatio voluntati Dei, regnum per homines exercentis. Quo cognito ac persuaso, omnino ad justitiam pertinere illa intelligunter, vereri majestatem principum, subesse constanter et fideliter potestati publicae, nihil seditiose facere, sanctam servare disciplinam civitatis.

30. Similiter ponitur in officiis caritas mutua, benignitas, liberalitas: non distrahitur in contrarias partes, pugnantibus inter se praeceptis, civis idem et christianus: denique amplissima bona, quibus mortalem quoque hominum vitam christiana religio sua sponte explet, communitati societatique civili omnia quaeruntur: ita ut illud appareat verissime dictum: *„Pendet a religione, qua Deus colitur, rei publicae status: multaque inter hunc et illam cognatio et familiaritas intercedit.“* [1] — Eorum vim bonorum mirabiliter, uti

1) Sacr. Imp. ad Cyrillum Alexand. et Episcopos metrop. — Cfr. Labbeum Collect. Conc. Tom. III, col. 436.

solet. persecutus est Augustinus pluribus locis, maxime vero ubi Ecclesiam catholicam appellat iis verbis: „*Tu pueriliter pueros, fortiter juvenes, quiete senes, prout cujusque non corporis tantum, sed et animi aetas est, exerces ac doces. Tu feminas viris suis non ad explendam libidinem, sed ad propagandam prolem et ad rei familiaris societatem, casta et fideli obedientia subjicis. Tu viros conjugibus, non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus praeficis. Tu parentibus filios libera quadam servitute subjungis, parentes filiis pia dominatione praeponis... Tu cives civibus, tu gentes gentibus, et prorsus homines primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate coniungis. Doces reges prospicere populis, mones populos se subdere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus objurgatio, quibus supplicium, sedulo doces; ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus caritas, et nulli debeatur injuria.*“ [1]) — Idemque alio loco male sapientes reprehendens politicos philosophos: „*Qui doctrinam Christi adversam dicunt esse reipublicae, dent exercitum talem, quales doctrina Christi esse milites jussit, dent tales provinciales, tales maritos, tales conjuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales servos, tales reges, tales judices, tales denique debitorum ipsius fisci redditores et exactores, quales esse praecipit doctrina christiana, et audeant eam dicere adversam esse reipublicae, immo vero non dubitent eam confiteri magnam, si obtemperetur, salutem esse reipublicae.*“ [2])

31. Fuit aliquando tempus, cum evangelica philosophia gubernaret civitates: quo tempore christianae sapientiae vis illa et divina virtus in leges, instituta, mores populorum, in omnes reipublicae ordines rationesque penetraverat: cum religio per Jesum Christum instituta in eo, quo aequum erat, dignitatis gradu firmiter collocata, gratia principum legitimâque magistratuum tutelâ ubique floreret: cum sacerdotium atque imperium concordia et amica

1) De moribus Eccl. cath., cap. 30, n. 63.

2) Epist. 138 (al. 5.) ad Marcellinum, cap. 2, n. 15.

officiorum vicissitudo auspicato conjungeret. Eoque modo composita civitas fructus tulit omni opinione majores, quorum viget memoria et vigebit innumerabilibus rerum gestarum consignata monumentis, quae nulla adversariorum arte corrumpi aut obscurari possunt. — Quod Europa christiana barbaras gentes edomuit, easque a feritate ad mansuetudinem, a superstitione ad veritatem traduxit: quod Maomethanorum incursiones victrix propulsavit: quod civilis cultus principatum retinuit, et ad omne decus humanitatis ducem se magistramque praebere ceteris consuevit: quod germanam libertatem eamque multiplicem gratificata populis est: quod complura ad miseriarum solatium sapientissime instituit, sine controversia magnam debet gratiam religioni, quam ad tantas res suscipiendas habuit auspicem, ad perficiendas adjutricem.

32. Mansissent profecto eadem bona, si utriusque potestatis concordia mansisset: majoraque exspectari jure poterant, si auctoritati, si magisterio, si consiliis Ecclesiae maiore esset cum fide perseverantiaque obtemperatum. Illud enim perpetuae legis instar habendum est, quod Ivo Carnutensis ad Paschalem II Pontificem maximum perscripsit: „*Cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia. Cum vero inter se discordant, non tantum parvae res non crescunt, sed etiam magnae res miserabiliter dilabuntur.*“ [1])

33. Sed perniciosa illa ac deploranda rerum novarum studia, quae saeculo XVI. excitata sunt, cum primum religionem christianam miscuissent, mox naturali quodam itinere ad philosophiam, a philosophia ad omnes civilis communitatis ordines pervenerunt. Ex hoc velut fonte repetenda illa recentiora effrenatae libertatis capita, nimirum in maximis perturbationibus superiore saeculo excogitata in medioque proposita, perinde ac principia et fundamenta *novi juris*, quod et fuit antea ignotum, et a jure non solum christiano, sed etiam naturali plus una ex parte discrepat.

1) Epist. 238.

34. Eorum principiorum illud est maximum, omnes homines, quemadmodum genere naturâque similes intelliguntur, ita reapse esse in actione vitae inter se pares: unumquemque ita esse sui juris, ut nullo modo sit alterius auctoritati obnoxius: cogitare de re qualibet quae velit, agere quod lubeat, libere posse: imperandi aliis jus esse in nemine. His informata disciplinis societate, principatus non est nisi populi voluntas, qui, ut in sui ipsius unice est potestate, ita sibimetipsi solus imperat: deligit autem, quibus se committat, ita tamen ut imperii non tam jus, quam munus in eos transferat, idque suo nomine exercendum. In silentio jacet dominatio divina, non secus ac vel Deus aut nullus esset, aut humani generis societatem nihil curaret; vel homines sive singuli sive sociati nihil Deo deberent, vel principatus cogitari posset ullus, cujus non in Deo ipso caussa et vis et auctoritas tota resideat. Quo modo, ut perspicitur, est respublica nihil aliud nisi magistra et gubernatrix sui multitudo: cumque populus omnium jurium omnisque potestatis fontem in se ipse continere dicatur, consequens erit, ut nulla ratione officii obligatam Deo se civitas putet: ut religionem publice profiteatur nullam; nec debeat ex pluribus quae vera sola sit, quaerere, nec unam quamdam ceteris anteponere, nec uni maxime favere, sed singulis generibus aequabilitatem juris tribuere ad eum finem, dum disciplina reipublicae ne quid ab illis detrimenti capiat. Consentaneum erit, judicio singulorum permittere omnem de religione quaestionem; licere cuique aut sequi quam ipse malit, aut omnino nullam, si nullam probet. Hinc profecto illa nascuntur: exlex uniuscujusque conscientiae judicium; liberrimae de Deo colendo, de non colendo, sententiae; infinita tum cogitandi, tum cogitata publicandi licentia.

35. His autem positis, quae maxime probantur hoc tempore, fundamentis reipublicae, facile apparet, quem in locum quamque iniquum compellatur Ecclesia. — Nam ubi cum ejusmodi doctrinis actio rerum consentiat, nomini catholico par cum societatibus ab eo alienis vel etiam inferior locus in civitate tribuitur: legum

ecclesiasticarum nulla habetur ratio: Ecclesia, quae jussu mandatoque Jesu Christi docere omnes gentes debet, publicam populi institutionem jubetur nihil attingere.

36. De ipsis rebus, quae sunt mixti juris, per se statuunt gubernatores rei civilis arbitratu suo, in eoque genere sanctissimas Ecclesiae leges superbe contemnunt. Quare ad jurisdictionem suam trahunt matrimonia christianorum, decernendo etiam de maritali vinculo, de unitate, de stabilitate conjugii: movent possessiones clericorum, quod res suas Ecclesiam tenere posse negant. Ad summam, sic agunt cum Ecclesia, ut societatis perfectae genere et juribus opinione detractis, plane similem habeant ceterarum communitatum, quas res publica continet: ob eamque rem si quid illa juris, si quid possidet facultatis ad agendum legitimae, possidere dicitur concessu beneficioque principum civitatis.

37. Si qua vero in republica suum Ecclesia jus, ipsis civilibus legibus probantibus, teneat, publiceque inter utramque potestatem pactio aliqua facta sit, principio clamant, dissociari Ecclesiae rationes a reipublicae rationibus oportere; idque eo consilio, ut facere contra interpositam fidem impune liceat, omniumque rerum habere, remotis impedimentis, arbitrium.

38. Id vero cum patienter ferre Ecclesia non possit, neque enim potest officia deserere sanctissima et maxima, omninoque postulet, ut obligata sibi fides integre religioseque solvatur, saepe sacram inter ac civilem potestatem dimicationes nascuntur, quarum ille ferme est exitus, alteram, ut quae minus est opibus humanis valida, alteri ut validiori succumbere.

39. Ita Ecclesiam, in hoc rerum publicarum statu, qui nunc : plerisque adamatur, mos et voluntas est, aut prorsus de medio pellere, aut vinctam adstrictamque imperio tenere. Quae publice aguntur, eo consilio magnam partem aguntur. Leges, administratio civitatum, expers religionis adolescentium institutio, spoliatio excidiumque ordinum religiosorum, eversio principatus civilis Pontificum romanorum, huc spectant omnia, incidere nervos instituto-

rum christianorum. Ecclesiaeque catholicae et libertatem in angustum deducere, et jura cetera comminuere.

40. Ejusmodi de regenda civitate sententias ipsa naturalis ratio convincit, a veritate dissidere plurimum. Quidquid enim potestatis usquam est, a Deo tamquam maximo augustissimoque fonte proficisci, ipsa natura testatur. Imperium autem populare, quod, nullo ad Deum respectu, in multitudine inesse naturâ dicitur, si praeclare ad suppeditandum valet blandimenta et flammas multarum cupiditatum, nulla quidem nititur ratione probabili, neque satis habere virium potest ad securitatem publicam quietamque ordinis constantiam.

41. Revera his doctrinis res inclinavere usque eo, ut haec a pluribus tamquam lex in civili prudentia sanciatur, seditiones posse jure conflari. Valet enim opinio, nihilo principes pluris esse, quam delectos quosdam, qui voluntatem popularem exequantur: ex quo fit, quod necesse est, ut omnia sint pariter cum populi arbitrio mutabilia, et timor aliquis turbarum semper impendeat.

42. De religione autem putare, nihil inter formas dispares et contrarias interesse, hunc plane habet exitum, nolle ullam probare judicio, nolle usu. Atqui istud ab atheismo, si nomine aliquid differt, re nihil differt. Quibus enim Deum esse persuasum est, ii, modo constare sibi nec esse perabsurdi velint, necessario intelligunt, usitatas in cultu divino rationes, quarum tanta est differentia maximisque etiam de rebus dissimilitudo et pugna, aeque probabiles, aeque bonas, aeque Deo acceptas esse omnes non posse.

43. Sic illa quidlibet sentiendi litterarumque formis quidlibet exprimendi facultas, omni moderatione posthabita, non quoddam est propria vi sua bonum, quo societas humana jure laetetur: sed multorum malorum fons et origo. — Libertas, ut quae virtus est hominem perficiens, debet in eo quod verum sit, quodque bonum, versari: boni autem verique ratio mutari ad hominis arbitrium non potest, sed manet semper eadem, neque minus est, quam ipsa

rerum natura, incommutabilis. Si mens adsentiatur opinionibus falsis, si malum voluntas adsumat et ad id se applicet, perfectionem sui neutra consequitur, sed excidunt dignitate naturali et in corruptelam ambae delabuntur. Quaecumque sunt igitur virtuti veritatique contraria, ea in luce atque in oculis hominum ponere non est aequum: gratia tutelâve legum defendere, multo minus. Sola bene acta vita via est in caelum, quo tendimus universi: ob eamque rem aberrat civitas a regula et praescriptione naturae, si licentiam opinionum praveque factorum in tantum lascivire sinat, ut impune liceat mentes a veritate, animos a virtute deducere.

44. Ecclesiam vero, quam Deus ipse constituit, ab actione vitae excludere, a legibus, ab institutione adolescentium, a societate domestica, magnus et perniciosus est error. Bene morata civitas esse, sublata religione, non potest: jamque plus fortasse, quam oporteret, est cognitum, qualis in se sit et quorsum pertineat illa de vita et moribus philosophia, quam *civilem* nominant. Vera est magistra virtutis et custos morum Ecclesia Christi: ea est, quae incolumia tuetur principia, unde officia ducuntur, propositisque caussis ad honeste vivendum efficacissimis, jubet non solum fugere prave facta, sed regere motus animi rationi contrarios etiam sine effectu.

45. Ecclesiam vero in suorum officiorum munere potestati civili velle esse subjectam, magna quidem injuria, magna temeritas est. Hoc facto perturbatur ordo, quia quae naturalia sunt praeponuntur iis, quae sunt supra naturam: tollitur aut certe magnopere minuitur frequentia bonorum, quibus, si nulla re impediretur, communem vitam Ecclesia compleret: praetereaque via ad inimicitias munitur et certamina, quae quantam utrique reipublicae perniciem afferant, nimis saepe eventus demonstravit.

46. Hujusmodi doctrinas, quae nec humanae rationi probantur, et plurimum habent in civilem disciplinam momenti, romani Pontifices decessores Nostri, cum probe intelligerent quid a se postularet apostolicum munus, impune abire nequaquam passi sunt.

Sic Gregorius XVI per Encyclicas litteras hoc initio *Mirari vos* die XV Augusti anno MDCCCXXXII, magna sententiarum gravitate ea perculit, quae jam praedicabantur, in cultu divino nullum adhibere delectum oportere: integrum singulis esse, quod malint, de religione judicare: solam cuique suam esse conscientiam judicem: praeterea edere quae quisque senserit, itemque res moliri novas in civitate licere. De rationibus rei sacrae reique civilis distrahendis sic idem Pontifex: *„Neque lactiora et religioni et principatui ominari possemus ex eorum votis, qui Ecclesiam a regno separari, mutuamque imperii cum sacerdotio concordiam abrumpi discupiunt. Constat quippe, pertimesci ab impudentissimae libertatis amatoribus concordiam illam, quae semper rei et sacrae et civili fausta extitit et salutaris.“*

47. Non absimili modo Pius IX, ut sese opportunitas dedit, ex opinionibus falsis, quae maxime valere coepissent, plures notavit, easdemque postea in unum cogi jussit, ut scilicet in tanta errorum colluvione haberent catholici homines, quod sine offensione sequerentur.[1])

48. Ex iis autem Pontificum praescriptis illa omnino intelligi necesse est, ortum publicae potestatis a Deo ipso, non a multitudine repeti oportere: seditionum licentiam cum ratione pugnare: officia religionis nullo loco numerare, vel uno modo esse in disparibus generibus affectos, nefas esse privatis hominibus, nefas civitatibus: immoderatam sentiendi sensusque palam jactandi po-

---

1) Earum nonnullas indicare sufficiat.

Prop. 19: Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat.

Prop. 39: Reipublicae status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Prop. 55: Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia sejungendus est.

Prop. 79: . . . . falsum est, civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi, conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos, ac indifferentismi pestem propagandam.

testatem non esse in civium juribus neque in rebus gratia patrocinioque dignis ulla ratione ponendam.

49. Similiter intelligi debet, Ecclesiam societatem esse, non minus quam ipsam civitatem, genere et jure perfectam: neque debere, qui summam imperii teneant, committere ut sibi servire aut subesse Ecclesiam cogant, aut minus esse sinant ad suas res agendas liberam, aut quicquam de ceteris juribus detrahant, quae in ipsam a Jesu Christo collata sunt.

50. In negotiis autem mixti juris, maxime esse secundum naturam itemque secundum Dei consilia non secessionem alterius potestatis ab altera, multoque minus contentionem, sed plane concordiam, eamque cum caussis proximis congruentem, quae caussae utramque societatem genuerunt.

51. Haec quidem sunt, quae de constituendis temperandisque civitatibus ab Ecclesia catholica praecipiuntur. — Quibus tamen dictis decretisque si recte dijudicari velit, nulla per se reprehenditur ex variis reipublicae formis, ut quae nihil habent, quod doctrinae catholicae repugnet, eaedemque possunt, si sapienter adhibeantur et juste, in optimo statu tueri civitatem.

52. Immo neque illud per se reprehenditur, participem plus minus esse populum rei publicae: quod ipsum certis in temporibus certisque legibus potest non solum ad utilitatem, sed etiam ad officium pertinere civium.

53. Insuper neque caussa justa nascitur, cur Ecclesiam quisquam criminetur, aut esse in lenitate facilitateque plus aequo restrictam, aut ei, quae germana et legitima sit, libertati inimicam.

54. Revera si divini cultus varia genera eodem jure esse, quo veram religionem, Ecclesia judicat non licere, non ideo tamen eos damnat rerum publicarum moderatores, qui, magni alicujus aut adipiscendi boni, aut prohibendi caussa mali, moribus atque usu patienter ferunt, ut ea habeant singula in civitate locum.

55. Atque illud quoque magnopere cavere Ecclesia solet ut

ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur, quia, quod sapienter Augustinus monet, *credere non potest homo nisi volens*[1]).

56. Simili ratione nec potest Ecclesia libertatem probare eam, quae fastidium gignat santissimarum Dei legum, debitamque potestati legitimae obedientiam exuat. Est enim licentia verius, quam libertas; rectissimeque ab Augustino *libertas perditionis*[2]), a Petro Apostolo *velamen malitiae*[3]) appellatur: immo, cum sit praeter rationem, vera servitus est: *qui*, enim, *facit peccatum, servus est peccati*[4]). Contra illa germana est atque expetenda libertas, quae si privatim spectetur, erroribus et cupiditatibus, teterrimis dominis, hominem servire non sinit: si publice, civibus sapienter praeest, facultatem augendorum commodorum large ministrat, remque publicam ab alieno arbitrio defendit.

57. Atqui honestam hanc et homine dignam libertatem, Ecclesia probat omnium maxime, eamque ut tueretur in populis firmam atque integram, eniti et contendere numquam destitit. — Revera quae res in civitate plurimum ad communem salutem possunt: quae sunt contra licentiam principum populo male consulentium utiliter institutae; quae summam rempublicam vetant in municipalem, vel domesticam rem importunius invadere: quae valent ad decus, ad personam hominis, ad aequabilitatem juris in singulis civibus conservandam, earum rerum omnium Ecclesiam catholicam vel inventricem, vel auspicem, vel custodem semper fuisse, superiorum aetatum monumenta testantur. Sibi igitur perpetuo consentiens, si ex altera parte libertatem respuit immodicam, quae et privatis et populis in licentiam vel in servitutem cadit, ex altera volens et libens amplectitur res meliores, quas dies afferat, si vere prosperitatem contineant hujus vitae, quae quoddam est velut stadium ad alteram eamque perpetuo mansuram.

1) Tract. 26 in Joan., n. 2.
2) Epist. 105, ad donatistas cap. 2. n. 9.
3) I. Petr. 2. 16.
4) Joan. 8. 34.

58. Ergo quod inquiunt, Ecclesiam recentiori civitatum invidere disciplinae, et quaecumque horum temporum ingenium peperit, omnia promiscue repudiare, inanis est et jejuna calumnia. Insaniam quidem repudiat opinionum: improbat nefaria seditionum studia, illumque nominatim habitum animorum, in quo initia perspiciuntur voluntarii discessus a Deo: sed quia omne, quod verum est, a Deo proficisci necesse est, quidquid, indagando, veri attingatur, agnoscit Ecclesia velut quoddam divinae mentis vestigium. Cumque nihil sit in rerum natura veri, quod doctrinis divinitus traditis fidem abroget, multa quae adrogent, omnisque possit inventio veri ad Deum ipsum vel cognoscendum vel laudandum impellere, idcirco quidquid accedat ad scientiarum fines proferendos, gaudente et libente Ecclesia semper accedet: eademque studiose, ut solet, sicut alias disciplinas, ita illas etiam fovebit ac provehet, quae positae sunt in explicatione naturae. Quibus in studiis, non adversatur Ecclesia si quid mens repererit novi: non repugnat quin plura quaerantur ad decus commoditatemque vitae: immo inertiae desidiaeque inimica, magnopere vult ut hominum ingenia uberes ferant exercitatione et cultura fructus: incitamenta praebet ad omne genus artium atque operum: omniaque harum rerum studia ad honestatem salutemque virtute sua dirigens, impedire nititur, quominus a Deo bonisque caelestibus sua hominem intelligentia atque industria deflectat.

59. Sed haec, tamesti plena rationis et consilii, minus probantur hoc tempore, cum civitates non modo recusant sese ad christianae sapientiae referre formam, sed etiam videntur quotidie longius ab ea velle discedere. — Nihilominus quia in lucem prolata veritas solet sua sponte late fluere hominumque mentes sensim pervadere, idcirco Nos conscientia maximi sanctissimique officii, hoc est Apostolica, qua fungimur ad gentes universas, legatione permoti, ea quae vera sunt, libere, ut debemus, eloquimur: non quod non perspectam habeamus rationem temporum, aut repudianda aetatis nostrae honesta atque utilia incrementa putemus, sed quod

rerum publicarum tutiora ab offensionibus itinera ac firmiora fundamenta vellemus: idque incolumi populorum germana libertate; in hominibus enim mater et custos optima libertatis veritas est: *veritas liberabit vos.*[1])

60. Itaque in tam difficili rerum cursu, catholici homines, si Nos, ut oportet, audierint, facile videbunt quae sua cujusque sint tam in *opinionibus*, quam in *factis* officia. — Et in opinando quidem, quaecumque Pontifices romani tradiderint vel tradituri sunt, singula necesse est et tenere judicio stabili comprehensa, et palam, quoties res postulaverit, profiteri. Ac nominatim de iis, quas *libertates* vocant novissimo tempore quaesitas, oportet Apostolicae Sedis stare judicio, et quod ipsa senserit, idem sentire singulos. Cavendum, ne quem fallat honesta illarum species: cogitandumque quibus ortae initiis, et quibus passim sustententur atque alantur studiis. Satis jam est experiendo cognitum, quarum illae rerum effectrices sint in civitate: eos quippe passim genuere fructus, quorum probos viros et sapientes jure poeniteat.

61. Si talis alicubi aut reapse sit aut fingatur cogitatione civitas, quae christianum nomen insectetur proterve et tyrannice, cum eâque conferatur genus id reipublicae recens, de quo loquimur, poterit hoc videri tolerabilius. Principia tamen, quibus nititur, sunt profecto ejusmodi, sicut ante diximus, ut per se ipsa probari nemini debeant.

62. Potest autem aut in privatis domesticisque rebus, aut in publicis actio versari. — Privatim quidem primum officium est, praeceptis evangelicis diligentissime conformare vitam et mores, nec recusare si quid christiana virtus exigat ad patiendum tolerandumque paulo difficilius. Debent praeterea singuli Ecclesiam sic diligere, ut communem matrem: ejusque et servare obedienter leges, et honori servire, et jura salva velle: conarique, ut ab iis, in quos quisque aliquid auctoritate potest, pari pietate colatur atque ametur.

1) Joan. 8, 32.

63. Illud etiam publicae salutis interest, ad rerum urbanarum administrationem conferre sapienter operam: in eâque studere maxime et efficere, ut adolescentibus ad religionem, ad probos mores informandis ea ratione, qua aequum est christianis, publice consultum sit: quibus ex rebus magnopere pendet singularum salus civitatum.

64. Item catholicorum hominum operam ex hoc tamquam angustiore campo longius excurrere ipsamque summam rempublicam complecti, generatim utile est atque honestum. *Generatim* eo dicimus, quia haec praecepta Nostra gentes universas attingunt. Ceterum potest alicubi accidere, ut, maximis justissimisque de caussis, rempublicam capessere in muneribusque politicis versari, nequaquam expediat. Sed generatim, ut diximus, nullam velle rerum publicarum partem attingere tam esset in vitio, quam nihil ad communem utilitatem afferre studii, nihil operae: eo vel magis quod catholici homines ipsius, quam profitentur, admonitione doctrinae, ad rem integre et ex fide gerendam impelluntur. Contra, ipsis otiosis, facile habenas accepturi sunt ii, quorum opiniones spem salutis haud sane magnam afferant. Idque esset etiam cum pernicie conjunctum christiani nominis: propterea quod plurimum possent qui male essent in Ecclesiam animati; minimum, qui bene. Quamobrem perspicuum est, ad rempublicam adeundi caussam esse justam catholicis: non enim adeunt, neque adire debent ob eam caussam, ut probent quod est hoc tempore in rerum publicarum rationibus non honestum; sed ut has ipsas rationes, quoad fieri potest, in bonum publicum transferant sincerum atque verum, destinatum animo habentes, sapientiam virtutemque catholicae religionis, tamquam saluberrimum succum ac sanguinem, in omnes reipublicae venas inducere.

65. Haud aliter actum in primis Ecclesiae aetatibus. Mores enim et studia ethnicorum quam longissime a studiis abhorrebant moribusque evangelicis: christianos tamen cernere erat in media superstitione incorruptos semperque sui similes animose, quacumque

daretur aditus, inferre sese. Fideles in exemplum principibus, obedientesque, quoad fas esset, imperio legum, fundebant mirificum splendorem sanctitatis usquequaque; prodesse studebant fratribus, vocare ceteros ad sapientiam Christi, cedere tamen loco atque emori fortiter parati, si honores, si magistratus, si imperia retinere, incolumi virtute, nequivissent. Qua ratione celeriter instituta christiana non modo in privatas domos, sed in castra, in curiam, in ipsam regiam invexere. „*Hesterni sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum*“ [1]: ita ut fides christiana, cum Evangelium publice profiteri lege licuit, non in cunis vagiens, sed adulta et jam satis firma in magna civitatum parte apparuerit.

66. Jamvero his temporibus consentaneum est, haec majorum exempla renovari. — Catholicos quidem, quotquot digni sunt eo nomine, primum omnium necesse est amantissimos Ecclesiae filios et esse et videri velle: quae res nequeant cum hac laude consistere, eas sine cunctatione respuere: institutis populorum, quantum honeste fieri potest, ad veritatis justitiaeque patrocinium uti: elaborare, ut constitutum naturae Deique lege modum libertas agendi ne transiliat: dare operam ut ad eam, quam diximus, christianam similitudinem et formam omnis respublica traducatur.

67. Harum rerum adipiscendarum ratio constitui uno certoque modo haud commode potest, cum debeat singulis locis temporibusque, quae sunt multum inter se disparia, convenire. Nihilominus conservanda in primis est voluntatum concordia, quaerendaque agendorum similitudo. Atque optime utrumque impetrabitur, si praescripta Sedis Apostolicae legem vitae singuli putent, atque Episcopis obtemperent, quos *Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei* [2]).

68. Defensio quidem catholici nominis necessario postulat

1) Tertull. Apol. n. 37.
2) Act. 20, 28.

ut in profitendis doctrinis, quae ab Ecclesia traduntur, una sit omnium sententia et summa constantia, et hac ex parte cavendum ne quis opinionibus falsis aut ullo modo conniveat, aut mollius resistat, quam veritas patiatur. De iis quae sunt opinabilia, licebit cum moderatione studioque indagandae veritatis disputare, procul tamen suspicionibus injuriosis, criminationibusque mutuis.

69. Quam ad rem ne animorum conjunctio criminandi temeritate dirimatur, sic intelligant universi: integritatem professionis catholicae consistere nequaquam posse cum opinionibus ad *naturalismum* vel *rationalismum* accedentibus, quarum summa est tollere funditus instituta christiana, hominisque stabilire in societate principatum, posthabito Deo.

70. Pariter non licere aliam officii formam privatim sequi, aliam publice, ita scilicet ut Ecclesiae autoritas in vita privata observetur, in publica respuatur. Hoc enim esset honesta et turpia conjungere, hominemque secum facere digladiantem, cum contra debeat sibi semper constare, neque ulla in re ullove in genere vitae a virtute christiana deficere.

71. Verum si quaeratur de rationibus mere politicis, de optimo genere reipublicae, de ordinandis alia vel alia ratione civitatibus, utique de his rebus potest honesta esse dissensio. Quorum igitur cognita ceteroqui pietas est, animusque decreta Sedis Apostolicae obedienter accipere paratus, iis vitio verti dissentaneam de rebus, quas diximus, sententiam justitia non patitur: multoque est major injuria, si in crimen violatae suspectaeve fidei catholicae, quod non semel factum dolemus, adducantur.

72. Omninoque istud praeceptum teneant qui cogitationes suas solent mandare litteris, maximeque ephemeridum auctores. In hac quidem de rebus maximis contentione nihil est intestinis concertationibus, vel partium studiis relinquendum loci, sed conspirantibus animis studiisque id debent universi contendere, quod est commune omnium propositum, religionem remque publicam conservare. Si quid igitur dissidiorum antea fuit, oportet volun-

taria quadam oblivione conterere: si quid temere, si quid injuria actum, ad quoscumque demum ea culpa pertineat, compensandum est caritate mutua, et praecipuo quodam omnium in Apostolicam Sedem obsequio redimendum. — Hac via duas res praeclarissimas catholici consecuturi sunt, alteram, ut adjutores sese impertiant Ecclesiae in conservanda propagandaque sapientia christiana: alteram, ut beneficio maximo afficiant societatem civilem, cujus, malarum doctrinarum cupiditatumque caussa, magnopere periclitatur salus.

73. Haec quidem, Venerabiles Fratres, habuimus, quae universis catholici orbis gentibus traderemus de civitatum constitutione christiana, officiisque civium singulorum.

Ceterum implorare summis precibus oportet caeleste praesidium, orandusque Deus, ut haec, quae ad ipsius gloriam communemque humani generis salutem cupimus et conamur, optatos ad exitus idem Ipse perducat, cujus est illustrare hominum mentes, permovere voluntates. Divinorum autem beneficiorum auspicem et paternae benevolentiae Nostrae testem vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque universo vestrae fidei vigilantiaeque commisso Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 1. Nov. an. MDCCCLXXXV, Pontificatus Nostri Anno octavo.

LEO PP. XIII.

Fundamentum.

1. Fundamentum totius ordinis juris, ultimusque juris fons, etiam ecclesiastici et civilis, est ipse Deus, creator generis humani. Quodcunque enim est, peccato duntaxat excepto, divinae voluntatis decreto debet, quod factum est. Proinde et ejus, qui est, ordinis juridici fundamentum haberi debet Deus: sive directe, eo, quod ipse voluntatem suam legiferam declaraverit, sive indirecte, eo, quod hominibus contulerit potestatem condendi leges.

Quam qui negat veritatem, destruit procul dubio unicum fundamentum, cui superaedificari potest sana juris scientia. Verum est, spuriae scientiae gloriationem a Spinozae tempore eo pervenisse, ut prae nimia doctrina ipsum jam non noverit patrem, creatorem rerum omnium visibilium et invisibilium. Varia invenit novaque in dies systemata pantheistica, quae, quamquam mundi conditorem ignorabant et negabant, physicum nihilominus atque moralem rerum ordinem explicare voluerunt; quae eo demum delapsa est, ut, ad hominis naturam vitamque explicandam, hominem a simia derivaret.

Cujusmodi vesaniam si volumus evitare, non aliam invenimus rerum omnium, atque adeo hominis, ordinisque juris, qui viget inter homines, originem ac fundamentum, nisi ipsum Deum et decretum divinae voluntatis.

2. Sed praeter generalem hanc rationem, quae omnium rerum originem a Dei voluntate repetit, specialis insuper apparet ordinis juris. Omnis enim juris norma petenda est a voluntatis cujusdam certo decreto. Quod evidentissimum est in normis juris positivi humani, v. g. in praescriptione (saltem in ea, quae brevi quodam et certo temporis spatio perficitur). Sic enim ponamus: Helvetius quidam occurrit Turcae in partibus Oceaniae, in insula quadam, a nullo occupata; aliquanto post contendit Turca,

se rem quandam Helvetii istius praescriptione acquisivisse. Num id recte dici potest? Non potest omnino! Nullus enim est legislator, ad cujus voluntatem provocare possit Turca; non potest adducere legislatorem hujus insulae, quia nullus est; non leges Turcicas, neque Helvetias, quia nihil valent in insula ista. Ergo deficiente legislatore ejusque voluntatis decreto, deficit omnis juris norma, ideoque deficiunt jura omnia singularia, quae sine norma esse non possunt.

Jam vero ex altera parte absurdum est, negare omnes juris relationes inter Helvetium istum et Turcam. Habet v. g. uterque jus vitae, ita ut alteri non liceat occidere alterum. Unde id juris est? Quaenam norma, unde fluat? Quaenam voluntas, unde originem ceperit ea norma? Nullus assignari potest in hac causa legislator humanus. Nihil ergo restat, nisi ut derivetur a legislatore divino, qui rebus ipsis et factis, i. e. creando hominem, omnia ipsi contulerit jura, sine quibus bene esse non potest.

Quae ratio adeo est gravis atque cogens, ut ex ipsa sola certo probari possit esse Deum. Accedit auctoritas Pii Papae IX., qui in Syllabo anni 1864 has rejecit propositiones:

„Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, „unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex, „et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum „curandum sufficit.“

„Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus „est, ut humanae leges ad naturae jus conformentur aut „obligandi vim a Deo accipiant.“ [1])

Itaque nisi recurramus ad Deum, intelligentia et voluntate praeditum, et a visibili hoc ordine omnino distinctum, ne ullum quidem jus explicari potest. Quae ratio sola, neglectis aliis omnibus argumentis, ita fortis est, ut per se sola Deum esse evincat.

3. Neque vero ullum jus posse explicari, nisi ad Deum, omnis juris fontem recurramus, inde etiam clarius patet, quod varia illa tentamina adstruendi jura, quae non a Deo deriventur, vana sunt et irrita.

Primum ejusmodi tentamen exhibeat nobis Rousseau (1712—1778), auctor libri famosi „Contrat social“. Fingit Rous-

1) Syllab. Pii IX. Prop. 3 et 56; cf. Encycl. „Immortale Dei“ n. 7 et 40.

seau, ut ita dicam, homines olim bestiarum instar solivagos errasse in silvis, donec feliciter inciderit mentibus eorum consilium illud, fundandi ordinem aliquem juris per contractum quendam inter ipsos initum; hinc jura originem cepisse. Sed unde, quaeso, illud jus, quod praesupponitur ad contractum ejusmodi ineundum? jus imprimis personalitatis, quod vocant, quo homines ad jura acquirenda et possidenda habiles fiunt? Nihil de eo dicam, quod hic contractus gratis et temere asseritur, nec ullo historiae documento nititur. Minus absone diceretur, naturalem illam liberorum a parentibus dependentiam fundamentum praebere ordini juridico, quam contractum Rousseauvii; quamquam neque hoc modo jura liberorum erga parentes, v. g. jus vitae, possunt explicari, nisi recurras iterum ad Deum, qui et liberis contulerit tale jus, et parentes, quos creavit, ad jus tale agnoscendum et honorandum obligaverit.

Addam, contractum illum suppositititium Rousseauvii ad summum eos posse ligare, qui eum contraxerunt; sed profecto eorum, qui nunc sunt, nullus eo modo, quo vult Rousseau, contraxit, si forte paucos istos excipias, qui, aliam petentes patriam, quasi per contractum cives facti sunt novae patriae.

Quare sententia Rousseauvii proscripta est a Sanctissimo Domino Leone Papa XIII. per Encyclicam „Diuturnum“ d. 29. Junii 1881 hisce verbis:

„Qui civilem societatem a libero hominum consensu natam „volunt, ipsius imperii ortum ex eodem fonte petentes, de jure „suo inquiunt aliquid unumquemque cessisse, et voluntate singulos „in ejus se contulisse potestatem, ad quem summa illorum jurium „pervenisset. Sed magnus est error non videre, id quod mani„festum est, homines, cum non sint solivagum genus, „citra liberam ipsorum voluntatem ad naturalem „communitatem esse natos: ac praeterea pactum, quod „praedicant, est aperte commentitium et fictum, neque ad imper„tiendum valet politicae potestati tantum virium, dignitatis, firmi„tudinis, quantum tutela reipublicae et communes civium utilitates „requirunt. Ea autem decora et praesidia universa „tunc solum est habiturus principatus, si a Deo au„gusto sanctissimoque fonte manare intelligatur.“

4. In Germania secutus est Rousseauvii vestigia Immanuel Kant (1724—1804), qui et ipse Statuum originem, saltem quoad

ideam, ex contractu petit, ita tamen, ut, permagna devotione erga gubernium Borussicum ductus, non omittat addere: „Hominis „subditi non esse, practice ratiocinari de origine juris Statuum, „ita ut in dubium vocari possit obedientia potestati Status debita.“ [1])

Quam devotionem non ita necessario esse observandam duxit erga Deum, quum in illo opere „Kritik der reinen Vernunft“ neget, quidquam posse certo demonstrari, proin ne id quidem demonstrari posse, Deum esse. Itaque jus omne sine Deo nititur adstruere in hoc principio: „Quaevis actio est justa, quae, vel „secundum cujus mentem libertas arbitrii unicujusque cum liber- „tate cujuslibet secundum legem aliquam generalem simul esse „potest.“ [2])

Possumus opponere philosopho Borussico exceptionem illam dilatoriam, quod secundum ipsum ratio humana nihil certo cognoscere valeat. Ipse enim sibi contradicit, si ullum systema scientificum certo adstruere studet, vel certo asserere jura quaedam, vel certo imponere obligationes, quae utrum sint, nihilo secundum ipsum certius est, quam, utrum luna habeat incolas. Imo, ne illud quidem certum est juxta Kantium: esse praeter me etiam alios homines.

Fugit Kant, ut se extricet ex ejusmodi difficultatibus, ad *Imperativum* quem dicit *categoricum*, qui nos urgeat cum ad virtutem exercendam, tum ad aliorum jura observanda. Sed quid, quaeso, Imperativus ille sibi vult? Estne vis quaedam in me, quae ad bene agendum necessitate physica me adstringat? Non est; quodsi esset, crimina non tantum non deberent, sed ne possent quidem fieri. An est vis moralis, ita ut furari quidem possim, sed prohibear? Sed nihilominus cur furtum non committam, quum juxta Kantium incertum sit: esse Imperativum; esse me, qui adstringar illo Imperativo; esse argentum, quod furaturus sim; esse hominem, cujus sit argentum; esse legem, quae prohibeat furari,

1) Kant, Rechtslehre t. IX. pag. 164: „Der Unterthan soll nicht über diesen Ursprung (als ein noch in Ansehung des jener Gewalt schuldigen Gehorsams zu bezweifelndes Recht) werkthätig vernünfteln.“ (cf. P. Pesch S. J. „Die moderne Wissenschaft“, Friburgi, Herder 1876, p. 106, 107.)

2) Kant, Einl. in die Rechtslehre §B usque §E (Werke t. V. q. 29 seqq.): „Eine jede Handlung ist recht, die, oder nach deren Maxime die Freiheit der Willkür eines Jeden mit Jedermanns Freiheit nach einem allgemeinen Gesetze zusammen bestehen kann.“

esse denique Statum atque legislatorem, qui condiderit legem istam? Quibus omnibus accedit, quod ipse Kantius confitetur, Imperativum suum esse quiddam, quod accuratius explicari non possit!

Mira sane confessio! Perpulchre respondet P. Th. Meyer S. J.: „Quid? rei cuidam ignotae, quae quum se offerat, non „dicat, unde sit, de qua nihil scimus, nisi eam comprehendi non „posse, huic rei exhibere debemus absolutam reverentiam? Illi, „tanquam legislatori nostro, debemus nos absolute subjicere? illi „sacrificare omnem utilitatis atque commoditatis rationem, et inter„dum vel ipsa bona nostra atque vitam? Hoc revera multum est, „et pro ejusmodi postulatis solidior nobis videtur requirenda esse „legitimatio. Quodsi scholasticorum systema „theocraticum" „absolutam rationem divinam, respective divinam voluntatem, „cujus mensura aeterna atque absoluta ratio divina est, talia „exigit postulata: profecto plus comprehendimus, quam Imperativum „ejusmodi comprehendi non posse, nam comprehendimus vel ipsam ejus „necessitatem, rectumque profecto esse putamus, quod voluntas „creata absolute se subjicere debeat voluntati absolutae, divinae; „ac tantum abest, ut injuriam dignitati et libertati nostrae hac „re illatam videamus, ut elevatos nos sentiamus, quum normae „absolutae sanctitatis conjuncti simus; nam „„Deo servire regnare „est"". Contra quo jure possit a nobis exigi — et quidem ad „emolumentum dignitatis et libertatis personarum „nostrarum — ut creatae cuidam rei sine juris nomine nostram „ipsorum voluntatem absolute subjiciamus, hoc revera „incom„prehensibile" est et miram supponit libertatis et dignita„tis, qua rationalis homo utitur, ideam."[1])

Solis luce clarius est, ea via qua vult Kant nunquam perveniri posse ad juris originem explicandam. Mirabuntur forte et ridebunt aliae nationes atque saecula posteriora, ejusmodi systema serio aliquando fuisse in Germania prolatum, neque tantum prolatum, sed et magno plausu diu susceptum.

5. Relicto Kantio veniamus ad Hegel (1770—1831), qui loco inexplicabilis illius Imperativi alium omnis juris fontem nobis

1) Meyer S. J., Grundsätze der Sittlichkeit und des Rechts, Friburgi, Herder 1876, p. 58. Cf. ejusdem auctoris: Institutiones juris naturalis . . . secundum principia Sti. Thomae, Friburgi Brisgoviae, Herder 1885, pars. I. p. 395 seqq.

offert, qui intelligi quidem bene potest. Ipsum enim Statum dicit omnis juris esse fontem. Sed quum haec statim oriatur difficultas, quomodo societas quaedam hominum creatorum, qualis est Status, omnium omnino jurium possit esse fons, facile se extricat Hegel, asserendo, Statum esse Deum praesentem („der praesente Gott"), esse omnipotentem, esse finem omnium rerum („absoluter, unbewegter Selbstzweck"). Secundum Hegel, qui in Germania maxima viguit auctoritate, maximeque in gubernio Borussiae, sequitur evidentissime, non tantum regnum Borussiae, sed et v. g. principatum Schaumburg-Lippe (quum sit Status), esse et Deum praesentem et omnipotentem et finem omnium rerum!

Simili modo in Anglia quondam Hobbes asseruerat fieri non posse, ut rex ullam committeret injustitiam (quum ipsi jus sit ad omnia). In Germania autem usque ad nostra tempora multum valuerunt Hegelii doctrinae, quum ex illis fluerent asserta ista: legem (civilem) esse conscientiam publicam, legibus (civilibus) semper esse obtemperandum, etiamsi peccata praeciperentur, aliaque.

6. Nos vero relinquamus jam vesanias istas, et adducamus generaliter contra omnes adversarios, non tantum contra Rousseau, Kant, Hegel, principia quaedam, quae ostendant, aliud non posse omnis juris asseri fundamentum, nisi ipsum Deum, creatorem rerum omnium visibilium atque invisibilium:

Primum: Aliunde probatur (v. g. argumento cosmologico et teleologico), esse Deum, ipsumque originem dedisse omnibus rebus, hinc etiam juribus.

Secundum: Si quis negaret, Deum esse ultimum juris fundamentum, sequeretur, duos homines, qui sibi obviam fierent, ubi nullus existit Status, nullo juris et obligationis vinculo inter se ligari: id quod absonum est.

Tertium: Si quis negaret, Deum esse ultimum juris fundamentum, sequeretur, duos Status, antequam foedera inirent, pariter nullo juris et obligationis vinculo inter se ligari: quod non minus absonum est.

Quartum: Si quis negaret, Deum esse ultimum juris fundamentum, sequeretur, non posse oriri neque jus civile neque jus ecclesiasticum, neque aliud ullum jus; idque duabus ex causis: tum, quia nescires, unde Status vel Ecclesia acciperet potestatem suam legiferam, tum, quia nulla adduci posset ratio, qua singuli

adstringerentur ad agnoscendam potestatem legiferam, a qua creati non sunt.

Itaque concludimus, aut Deum deberi ultimum omnis juris fundamentum haberi, aut omnia jura esse prorsus neganda et rejicienda.

7. Gaudemus, hanc veritatem a celeberrimis juris peritis, etiam inter Protestantes, agnosci. Puchta: „Non vocamus", inquit, „in dubium, jus originem suam ducere a Deo; contraria „sententia injuriam inferret juri."[1]) Similiter Stahl: „Ultima ratio, „cur jus obliget, est ordo a Deo constitutus."[2]) Haud ignoramus, Stahlium sibi hac in re non constare. Addit enim, jus humanum posse repugnare voluntati divinae, et nihilominus vim suam retinere. Feliciter tamen etiam huic inconstantiae non constat, cum alibi asserat: „Si mandatum potestatis (civilis) contradicit mandato „divino, subditus ad denegandam obedientiam tenetur."[3])

8. Hisce omnibus efficitur, jura cuncta tum ecclesiastica tum civilia repetenda esse a Deo, neque ulterius posse esse jura neque agnosci, quam ab ipso derivari queant. Itaque in posterum jam non agendum nobis est cum illis adversariis, qui hanc veritatem fundamentalem negant, quique divinam imprimis Ecclesiae originem negare coguntur. Contra ipsos solo argumento ad hominem disputari potest, et disputabitur in extremo libro, ubi de jure historico (humano) tractandum. Nunc agamus de jure divino sive positivo sive naturali.

Adversarii, quibuscum hic agendum, erunt potissimum illi Protestantes, qui *positivi* vocantur, quum Deum esse, atque item Christum esse Deum fateantur.

Omnia igitur jura a Deo derivanda sunt. Sed quum quilibet legislator, inter quos etiam Deus, vel apertis verbis vel ipsis rebus et factis (factis, uti ajunt, concludentibus) voluntatem suam legiferam manifestare possit, pronum est atque juridico disputandi generi consonum, incipere ab illo voluntatis decreto, quod verbis expressis prolatum est. Quale decretum quum soli Ecclesiae originem dederit, non Statibus, ab Ecclesia nobis incipiendum est.

1) Puchta, Vorlesungen, I. § 10.
2) Stahl, Rechtsphilosophie, II. p. 221.
3) Stahl, Rechts- und Staatslehre, II. Abschn. III, Cap. 19 § 151.

Liber primus.

Jus divinum (positivum et naturale).

I.

De Ecclesia.

In ipsum totius disputationis nostrae cardinem incidimus, quum sermo inferatur de Ecclesia, ejusque, ut societatis visibilis, a Christo institutione. Quae quum negata sit a Protestantibus, omnis subversa est recta relationis illius, quae Ecclesiam inter et Statum viget, cognitio; quae si stabilita fuerit, sponte quasi fluent reliqua omnia.

Protestantes enim, licet divinam Ecclesiae fundationem ab initio non rejecerint, atque, appellando a Summo Pontifice ad Concilium, quodam modo agnoverint; postea tamen, quum Concilium Tridentinum novas eorum damnasset doctrinas, eo devenerunt, ut ipsam Ecclesiae divinam auctoritatem atque institutionem negarent, ne ab erroribus suis recedere cogerentur.

Sed sine ullo ordine externo juridico res ecclesiasticae ne apud ipsos quidem esse possunt. Itaque duplici modo res composita est:

Aut gubernium civile cuncta ordinavit vi supposititiae suae „potestatis ecclesiasticae“ (Kirchengewalt), prout evenit v. g. plerumque in Germania (qui modus ut postea theoria aliqua defenderetur, tria systemata inventa sunt: episcopale, territoriale, collegiale). Quo in rerum ordine ministros Ecclesiae non tam agere ex mandato Christi, per Ecclesiam ad ipsos transmisso, quam ex mandato potestatis civilis, neque superesse ullam Ecclesiae libertatem et independentiam, luce clarius est.

Aut gubernium abstinuit ab ordinandis rebus ecclesiasticis, quare singulae sectae eo perducebantur, ut proprio marte in corpus quoddam juridicum convenirent, atque ministros religionis sibi constituerent; quod ut plurimum v. g. nunc in America septentrionali fit. Sed et hic pariter manifestum est, ministros non agere ex mandato Christi, verum ex mandato eorum, qui ipsos nominaverunt; adeoque et hic religionem et res ecclesiasticas, licet alio modo, dependentes fieri a singulis Statibus. Istae enim sectae, quum nihil aliud sint, nisi societates quaedam, privata auctoritate constitutae, subsunt necessario supremae Statuum jurisdictioni, cui jurisdictioni, quantum spectat res ecclesiasticas, nomen *jus circa sacra* datum est.

Sic apud Protestantes omnis Ecclesiae independentia sublata est. Potestates autem civiles, etiam catholicae, his principiis protestanticis, a saeculo decimo sexto recenter invectis, usae sunt, ut et ipsam catholicam Ecclesiam, a Domino nostro Jesu Christo fundatam, quasi esset una e numero sectarum istarum, jurisdictioni suae subjicere conarentur, et augustissimam Christi sponsam in servitutem redigerent.

Quae quum ita sint, jam ulteriori disceptationi ad majorem lucem afferendam praemittendus est hic

Status causae et controversiae.

Extra controversiam est inter Catholicos atque Protestantes positivos (illos, qui omnem abjecerunt religionem, supra refutavimus):

1. Christus erat Deus. Qui quodcumque statuit, vel ipsi Statui agnoscendum est.
2. Argumentari tuto possumus e sacra Scriptura: tum quia est verbum Dei, neque ulli errori obnoxia, tum quia utitur auctoritate humana haud minori, quam vel Tacitus, vel Suetonius vel alii.
3. Dei filius factus est homo, ut tanquam sacerdos et victima homines redimeret; ut tanquam propheta afferret novam doctrinam.
4. Non erat Christus rex ea ratione, ut civilem rem publicam fundaret.

Quae quum extra controversiam sint, controvertitur de his:

1. Catholici dicunt, Christum fuisse non tantum sacerdotem, qui visibili modo sacrificium obtulerit; non tantum prophetam, qui visibili modo suam doctrinam protulerit; sed et regem, qui fundaverit visibilem quandam humanam societatem, non civilem quidem, sed religiosam, cui certos quosdam praefecerit superiores, certam quandam potestatem dederit. Protestantes negant, Christum visibilem Ecclesiam fundasse; eas quae Ecclesiae dicantur, nihil esse, nisi hominum instituta; neque earum superiores mandato atque potestate Christi agere.
2. Catholici dicunt, eam, quae nunc est, Ecclesiam catholicam, esse eandem societatem visibilem, quam Christus fundavit; id quod a Protestantibus negatur.
3. Catholici dicunt, catholicam Ecclesiam frui omnibus illis juribus et libertatibus, quas Christus societati a se fundatae contulit. Protestantes negant, alia competere ulli Ecclesiae jura, quam quae ex jure humano (historico) originem ducant.

Quo ex statu causae et controversiae tres enascuntur quaestiones, ante omnia solvendae:

1. Visibilemne fundavit Christus Ecclesiam? Certamque superioribus a se constitutis largitus est potestatem juridicam?
2. Quodsi affirmatur: Estne Ecclesia catholica, quae nunc est, eadem Ecclesia, quam fundavit Christus?
3. Quodsi affirmatur: Quaenam sunt jura Ecclesiae catholicae?

Jam respondeamus ad singula!

1. Visibilemne fundavit Christus Ecclesiam? Certamque superioribus a se constitutis largitus est potestatem juridicam?[1])

1. Saepissime in Evangeliis nobis occurrunt duodecim Apostoli. Christus enim „fecit, ut essent duodecim cum „illo, et ut mitteret eos praedicare.“[2]) „Duodecim autem „Apostolorum nomina sunt haec: Primus: Simon, qui dicitur Petrus, „et Andreas, frater ejus; Jacobus Zebedaei“ etc.[3]) Hi autem Apostoli in munus postea ipsis obeundum simili fere modo a Jesu

1) cf. Encycl. „Immortale Dei“ n. 16. 17. 19.

2) Marc. 3, 14.

3) Matth. 10, 2, 3.

excolebantur, quo nostris diebus Episcopus, in missionibus inter Ethnicos constitutus, catechistas quosdam sibi efformare solet. Erant cum Jesu, dum ipse concionatur; postque resurrectionem per 40 dies locutus est ipsis de regno Dei, i. e. de Ecclesia, quam ipsis relicturus erat regendam; quumque in eo esset, ut in coelum discederet, munus in posterum ipsis obeundum solemnibus hisce verbis contulit:

„Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. „Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos „in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, do„centes eos servare omnia quaecumque mandavi „vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus „usque ad consummationem saeculi.“ [1])

Videmus mandatum atque potestatem praedicandi a Christo exire eo modo, quo etiam nunc apud Catholicos a Vicario Christi; non exire illo Protestantico modo, secundum quem vel a gubernio civili effluit, vel ab istis hominibus, apud quos munere suo perfuncturi erunt Apostoli.

Sed objicitur: Ex eo, quod Apostoli ad praedicandum mittuntur, nondum evincitur, constitui ipsos tanquam superiores hierarchicos; possunt haberi tanquam meri nuntii sive doctores, simili modo a Domino missi, quo vel Socrates vel Plato mittere potuit discipulos suos, quin ullam superioritatis rationem induerent. Quare videamus, quo pacto missionem suam intellexerint ipsi Apostoli, qui certe optime eam debebant intelligere, tum quia ipsi audierunt verba Christi, tum quia Christi erat providere, ne perverse intelligeretur ab Apostolis suis. Videamus inquam, utrum tanquam meros nuntios se putarint missos, an tanquam auctoritate quadam superioritatis praeditos?

2. Antiochiae lis orta erat inter Christi fideles, utrum circumcisio Judaica esset observanda in iis, qui e gentilibus converterentur nec ne. Negarunt Paulus et Barnabas. Quod quum hac sententia nondum videretur confectum „statuerunt, ut ascenderent „Paulus et Barnabas et quidam alii ex aliis ad Apostolos et Pres„byteros in Jerusalem super hac quaestione . . . . Quum autem „venissent Jerosolymam . . . . convenerunt . . . Apostoli et Seniores „videre de verbo hoc.“ Tandem placuit haec rescribere:

1) Matth. 28, 18—20.

„Apostoli et Seniores fratres his, qui sunt Antiochiae. . . salu-„tem. Quoniam audivimus, quia quidam ex nobis exeuntes turba-„verunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non „mandavimus, placuit nobis etc. Visum est enim Spiritui „sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam „haec necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simula-„crorum" etc.[1])

Cui jam, quaeso, similis est hic modus loquendi? Num ei, quo loqui solet congregatio Protestantium? An, quem tenet Concilium Episcoporum catholicorum? Estne haec locutio ejus viri, qui nihil est nisi nuntius? An ejus, qui et legislator et superioris auctoritate praeditus? Quodsi hoc asserendum videtur, nonne luce apertius est, Christum constituisse Ecclesiam suam, ut esset corpus visibile hierarchicum, in quo praeessent Apostoli, reliqui obedirent, in quo praepositi, a Deo missi, Dei nomine regerent subditos, non ut more protestantico eligerentur vel deponerentur arbitrio subditorum vel potestatis civilis, neque audiendi essent, „quibus non mandaverunt Apostoli". Unde patet, Christum ipsum fundasse Ecclesiam quandam visibilem, eique largitum esse constitutionem fundamentalem.

Quibus omnibus neglectis si „negat Protestantismus Ger-„manicus, . . . certam quandam et externam Ecclesiae constitu-„tionem esse originis divinae"[2]), sine dubio Protestantismus Germanicus (bona venia dixerim) permagno errore historico implicatus est!

---

1) Act. 15, 1—29

2) Geffcken, Staat und Kirche in ihrem Verhältniss geschichtlich entwickelt, Berlin 1875, p. 209. — Saepius hunc adducemus scriptorem, quum emineat inter Protestantes positivos, qui hac de re scripserunt, quumque majore utatur moderatione, quam plurimi ejus sectae; eo enim jam tempore, quo maxime in Germania ardebat pugna inter Ecclesiam et Statum *(der Kulturkampf)*, ipse contra modum procedendi gubernii civilis scripsit. Quam parum nihilominus idem Geffcken versatus sit in rebus catholicis, inde patet, quod loquitur de „infallibilitate Cardinalium eligentium" (p. 192); quod putat, secundum catholicam doctrinam posse hominem justificari *(„gerecht werden")* ex supererogatoriis alterius operibus (p. 205), sacramenta operari in recipientem, nullo respectu habito ad modum, quo ille se habeat *(„ohne dass dessen persönliches Verhalten zu ihnen in Betracht kommt")* (p. 206); sacramenta denique dare singulis certitudinem aeternae salutis, quomodocunque ipsi se habeant erga Deum *(„deren Genuss dem Einzelnen die Seligkeit verbürgt, ganz unabhängig von seiner individuellen Stellung zu Gott")* (p. 206).

3. Haec scripseramus in editione nostra Germanica. Interim nos Consiliarius consistorii superior ac Superintendens aggressus est (sic enim vertendos duximus titulos Germanicos *„Oberconsistorialrath“* et *„Superintendent“*) clarissimus Koehler Darmstadiensis, qui de libello nostro:

„Probatio, quam attulit, biblica nihil offert, quod superet „usitata, ideoque nihil dat, quod observemus“ (facillimus certe refutandi modus!). „Concilium enim quod vocatur Apostolorum „scripsisse exhibetur Antiochiam (Act. Ap. 15, 23): „„Apostoli „„et Seniores fratres etc.““ i. e. Episcopi et Presbyteri. Verba „adducta sunt juxta Vulgatam, in textu vero primitivo *(Grundtext)* „habetur: *οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι καὶ οἱ ἀδελφοί*. Apostoli, „Seniores et communitas *(die Gemeinde)* dant rescriptum.“ [1])

Sed quum hoc loco censor noster observandum aliquid invenerit, accuratius inquiramus.

Ac primum quidem miramur, quo jure loco fratrum (*ἀδελφοί*) Koehler ponat communitatem *(die Gemeinde)*. Nam etiamsi sequimur textum illum, quem vocat primitivum, res potest explicari sensu omnino catholico, modo retineatur vox „fratres“. Apostoli enim et fratres aliquos, i. e. laicos ad decernendum sibi adscivissent, id quod et nunc potest facere Concilium. Jam vero sensus catholicus, i. e. hierarchicus istis aliis verbis utique exigitur: „Visum est Spiritui Sancto et nobis.“ Quodsi dicatur „communitas“, res jam magis protestanticam speciem praebet, quum etiam „sorores“ lateant in voce „communitatis“.

Quo jure igitur clarissimus Koehler verbo „fratres“, quod habetur in ipso decreto (Act. Ap. 15, 23), substituit vocem „communitatis“ sive „Ecclesiae“ *(Gemeinde)*, de qua in prioribus tantum mentio fuerat, quum diceretur: „Placuit Apostolis et Senioribus cum omni Ecclesia, eligere viros ex eis et mittere Antiochiam“ (Act. Ap. 15, 22)?

Sed mittamus hoc. Est enim forte, ut verbis domini Koehler utar, „unum ex illis parvis adjumentis *(Behelfen)*, quae propria „esse solent huic generi polemizandi“ [2]). Veniamus ad quaestionem principalem de „textu primitivo“.

Quid intelligit adversarius noster voce „textus primitivi“?

1) Koehler in „Theologische Literaturzeitung“, herausg. von Harnack u. Schürer, Professoren zu Giessen, Leipzig, 23. Februar 1884, p. 97.

2) Theol. Literaturzeitung l. c. p. 97.

Theologi, quum sciant, Catholicos in usum quotidianum adhibere editionem latinam Vulgatam, Protestantes textum Graecum, quem vocant, receptum, statim videbunt, hunc Graecum intelligi a censore. Sed si quis legat, qui non sit theologus, voce „textus primitivus“ inducitur in eam opinionem, S. Lucam, qui concepit Actus Apostolorum, scripsisse ea, quae clarissimus Koehler „textui primitivo“ vindicat. At textus ille „primitivus“ revera nihil est, nisi „textus Graecus receptus“, qui quam parum criticus sit, vel ex eo patet, quod Hase, vir maximae apud Protestantes auctoritatis, dicat: Textum illum „nihil esse, nisi convenientiam „aliquam casu factam *(eine zufällige)*, erroribus plenam, quae „originem docto cuidam potissimum librorum excussori debeat“ [1]).

Quid? hunc modum quo Koehler adhibet vocem „textus primitivus“, num iis verbis appellabimus, quibus iste utitur contra nos? Praesto essent haec profecto: „vere jesuitice“ (l. c. p. 97), „modo vere jesuitico externa tantum respiciens“ (l. c. p. 98), „ubique ab extra tantum res palpans, casuistice, interdum valde „prudenter, adeoque splendide *(blendend)*, sed iis tantum, qui nihil „sciunt de interna rerum natura“ (l. c. p. 97).

Bene! Liceat igitur saltem nunc nobis intrare in „internam rerum naturam“; inquiramus, quid habuerit textus vere primitivus, ille textus, quem scripsit S. Lucas: utrum cum „textu primitivo“ clarissimi Koehler legerit illud καὶ οἱ (*et fratres*), an cum Vulgata nostra omiserit illud, ita ut soli Apostoli cum Senioribus, sine laicis, sanxerint decretum.

Inquirendum igitur est in antiquissima Sacrae Scripturae exempla manuscripta. Quae usque ad quartum fere saeculum ascendunt, velut codex Vaticanus et Sinaiticus. Ut facilius allegari possint, receptum est, literis tum majusculis, tum minusculis, tum numeris ea significare. Antiquissimi codices receperunt literas majusculas, et antiquioribus inter illos, uti patet, priores tribuebantur literae.

Quid ergo? Quinam codices pro nobis militant et contra illud καὶ οἱ clarissimi Koehler? Sunt codices A, B, C, D; ergo habemus nos quidem quatuor optimos. Reliqui codices recentiores, sicut et translationes, partim nobiscum sentiunt, partim cum clarissimo Koehler. Atque hoc quidem argumentum solum sufficeret,

1) Hase, Protestant. Polemik, 4. ed., p. 84.

ut videremus, illud καὶ οἱ per errorem aliquem irrepsisse in textum Graecum receptum, et merito rejectum esse ab editione Vulgata. Quod vero clarissimus Koehler loquitur de „textu primitivo“ eumque intelligit textum Graecum receptum, hoc nihil est, nisi quod Angli dicere solent „humbug“.

Accedit alterum argumentum. Anno 1859 Tischendorf Professor Lipsiensis felici quodam casu invenit in antiquo monasterio montis Sinai codicem, qui exinde vocari solet codex Sinaiticus. Qui quum auctoritate et antiquitate inter primos codices numeretur, quia primae literae alphabeti latini jam distributae erant, accepit signum aleph hebraicum (ℵ); quumque praeter scripturam primitivam (ℵ*) etiam correcturae quaedam apparerent, hisce correcturis signa data sunt: ℵ^{b}, ℵ^{c}, ℵ^{ca}, ℵ^{cb}.

Pluribus in lectionibus variantibus codex hic Sinaiticus editionem Vulgatam testatur interpretem fidelem. Jam vero quod testimonium affert quaestioni nostrae? Scriptura primitiva (ℵ*) cum Vulgata omittit καὶ οἱ, sed correctura aliqua saeculi fere septimi (ℵ^{c}) exhibet illud; unde conjicere licet, lectorem aliquem, qui non bene intellexerit appositionem *Apostoli et Seniores, fratres*, quum emendare voluerit, corrupisse textum, atque *et* inter *Seniores* et *fratres* interposuisse.

Quodsi primitivam codicis Sinaitici lectionem assumimus, jam dicere possumus: 5 optimos codices pro nobis stare.

Accedunt tertio gravissimi viri etiam inter ipsos exegetas Protestantes: Tischendorf, quem nominavimus, in editione octava majore critica omittit illud καὶ οἱ, quamvis in septem prioribus illud habuerit; Griesbach, Lachmann, Bornemann in editionibus suis criticis pariter illud omittunt; sic et Buttmann (Studien und Kritiken 1860, p. 358).

Jam olim Mill in prolegomenis suis scripsit:

„Hi, ad quos missi sunt Paulus et Barnabas, erant Apostoli „et Presbyteri, iique soli v. 2. Hi soli circa hanc quaestionem „convenere v. 6; ab iis solis conscriptam esse epistolam, apparet „ex cap. 16 v. 4; verum quod v. 22 dictum sit Apostolis et „Presbyteris σὺν ὅλῃ τῇ ἐκκλησίᾳ visum fuisse, viros quosdam . . . „mittere, . . . lector quispiam hinc concludens, etiam reliquae „plebi Christianae partes suas fuisse in promulganda hac epistola, „fecit καὶ ἀδελφοί.“ (Editio Kusteri 1710, p. 145).

Accedit quarto ratio pariter evincens, locum dico parallelum, quem jam memoravi: Act. 16, 4, ubi, sine ulla codicum variatione, solis Apostolis et Presbyteris adscribitur decretum Hierosolymitanum. Legimus enim: „Δόγματα τὰ κεκριμμένα ὑπὸ τῶν ἀποστόλων καὶ πρεσβυτέρων τῶν ἐν Ἱεροσολύμοις“, scil. „Decreta lata ab Apostolis et Presbyteris Hierosolymis.“

Jam si opus sit, quintam insuper et hanc quidem internam liceat adjungere rationem.

Fingamus, Genevam convenire Calvinistas, et praedicatores et laicos, eosque una junctos mittere decretum aliquod Lugdunum ad congregationem Calvinisticam hujus urbis, quo sanciatur: „Visum est Spiritui Sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis „oneris, quam etc.“ Nonne risum moveret ipsis Calvinistis tale decretum? Cur? Quia omnino contradicit illi modo independenti, quo Protestantes utuntur.

Sed fingamus, Concilium catholicum Romae congregatum scribere ad fideles v. g. in Hispania: „Visum est Spiritui Sancto et „nobis etc.“ Num hoc edictum moveret admirationem? Minime. Cur? Quia congruit omnino modo hierarchico, quo utitur Ecclesia catholica.

Quid inde? Sequitur, Ecclesiam primitivam ipsosque Apostolos sustinuisse idem principium hierarchicum, quod nos Catholici hodiedum sustinemus, ita ut „Apostoli et Seniores“ auctoritate a Christo (mediate vel immediate) secum communicata res decernant, laici, qui a Christo non acceperunt, neque ullam auctoritatem habent, non decernant. Hinc propter hanc rationem internam illud καὶ οἱ omittendum est; quodsi non esset omittendum, saltem ita interpretandum, ut laici ita tantum concurrant in decernendo, ut ipsis per Apostolos a Christo concessum hoc sit; secus enim absone dicerent: „Visum est Spiritui Sancto et nobis.“

Versione nostra sic stabilita gratias agamus clarissimo Koehler, quod ipse occasionem dederit, firmius etiam, quam antea, causam nostram sustinendi. Quo excursu exegetico finito, qui necessarius nobis visus est, ad quaestiones nostras juridicas redeamus.

4. Vidimus, discrimen inter catholicam et protestanticam notionem Ecclesiae positam esse in diversa ratione, qua pastores se habent ad gregem; nam apud Catholicos agunt personam superiorum, apud Protestantes tantum praedicatorum. Notionem autem catholicam jam in Apostolorum Concilio invenimus.

Sed hoc discrimen etiam tum apparet, quum pastores in potestatis civilis ministros incidunt: sacerdos catholicus non curat, si quid forte ipsi prohibetur ab auctoritate civili; agit enim nomine Christi, cui et reges subjiciuntur et imperatores. Minister protestanticus generatim cedere debebit ejusmodi prohibitioni, quum sola fidelium electione vel gubernii civilis nominatione constitutus sit. Utram agendi rationem secuti sint Apostoli, jam videamus!

Petrus et Joannes miraculo quodam in nomine Jesu sanaverant hominem claudum. Res admirationem movebat, et gubernii mtrinisos (quod in miraculis haud raro fit) ut se immiscerent excitavit. Vocantur Apostoli in judicium atque jubentur, „ne omnino loque„rentur neque docerent in nomine Jesu. Petrus vero et Joannes, „respondentes, dixerunt ad eos: Si justum est in conspectu Dei, „vos potius audire, quam Deum, judicate. Non enim possumus, „quae vidimus et audivimus, non loqui.

„At illi, comminantes, dimiserunt eos, non invenientes, quo„modo punirent eos, propter populum.“ [1])

Itaque Apostoli denuo verba ad populum fecerunt, et quidem publice in templo; iterum in judicium vocantur, dicitque eis princeps sacerdotum, praeses synedrii (quod et civilis judicii fungebatur officio):

„Praecipiendo praecepimus vobis, ne doceretis in nomine „isto; et ecce replestis Jerusalem doctrina vestra, et „vultis inducere super nos sanguinem hominis istius! Respondens „autem Petrus et Apostoli dixerunt: „„Obedire oportet Deo „magis, quam hominibus.““ Judices tandem, consilio habito, „convocantes Apostolos, caesis denuntiaverunt, ne omnino „loquerentur in nomine Jesu, et dimiserunt eos. Et illi „quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti „sunt, pro nomine Jesu contumeliam pati. Omni autem die „non cessabant in templo et circa domos docentes et „evangelizantes Christum Jesum.“ [2])

Jam quaero iterum: hic loquendi et agendi modus estne eorum virorum, qui a Deo mandatum acceperunt, an eorum, qui ab auctoritate civili, vel ab iis, quibus concionantur, munus praedicandi adepti sunt?

1) Act. 4, 18—21.
2) Act. 5, 28. 29. 40—42.

5. Sed quum de Apostolis inciderit sermo, loquamur etiam breviter de potestate eorum sacramentali, quam certissime neque a gubernio, neque ab hominibus privatis potuerant accipere. Imponebant scilicet „manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.“ [1] Aderat Simon magus, qui eandem et ipse potestatem habere cupiebat, quam Apostoli. Cui profecto spes non videtur affulsisse, illam vel a fidelibus vel a gubernio civili accipiendi. Adit namque Apostolos, offert pecuniam: „Date, inquit, et mihi „hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manus accipiat Spiritum „sanctum.“ [2] Cujus bene S. Petrus retundit impudentiam, qui existimaverit „domum Dei pecuniâ possideri“ [3].

6. Praetermittendus non est, ubi de vera Ecclesiae natura agitur, S. Paulus; idque eo minus, quum ad ipsum potissimum soleant provocare Protestantes. Quamnam igitur Ecclesiae tribuit naturam S. Paulus? Num eandem, quam Protestantes, ita ut „ministri verbi“ nullam habeant auctoritatem, nisi quam vel a fidelibus, vel a gubernio civili acceperint, qua nullatenus uti liceat contra mandantes? An eam naturam, quam Catholici tenent, ita ut Ecclesia instituta sit ab ipso Christo hierarchica atque visibilis, utque mandato et nomine Christi jubeant superiores et subditorum obedientiam accipiant? Videamus!

Epistolas inchoare solet S. Paulus hisce fere verbis: „Paulus „servus Jesu Christi, vocatus Apostolus“ [4] vel: „Paulus vocatus „Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei“ [5]. Fortius etiam ad Galatas urget, Dei voluntate, non hominum, neque ullo alio intermedio homine auctoritatem se suam accepisse: „Paulus, Apo„stolus non ab hominibus neque per hominem, sed per „Jesum Christum et Deum Patrem.“ [6]

Ejusmodi potestate fretus non vult concionari tantum vel nuntium quendam afferre, sed superior jubere et obedientiam exigere. „Ideo enim et scripsi“, ait Corinthiis, „ut cognoscam „experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis.“ [7]

1) Act. 8, 17.
2) Act. 8, 19.
3) Act. 8, 20.
4) Rom. 1. 1.
5) 1. Cor. 1, 1; 2. Cor. 1, 1; Ephes. 1, 1; Coloss. 1, 1 etc.
6) Gal. 1, 1.
7) 2. Cor. 2, 9.

„et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, „cum impleta fuerit vestra obedientia.“ [1]) „Quid vultis?“ scribit. „In virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis?“ [2]) „Ideo haec absens scribo, ut non praesens durius agam, secun„dum potestatem, quam Dominus dedit mihi.“ [3])

Vi hujus potestatis, quam a Christo acceperat B. Apostolus. et in particularia quaedam devenit praecepta et poenas. „De„nuntiamus autem vobis, fratres“, scribit ad Thessalonicenses, „in „nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos „ab omni fratre ambulante inordinate.“ [4]) Atque adeo ipsam excommunicationem infligit, scribens ad Corinthios: „Ego quidem, „absens corpore, praesens autem spiritu, jam judicavi ut praesens, „eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu „Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute „Domini nostri Jesu Christi tradere hujusmodi Sa„tanae.“ [5]) Timotheo scribit de nonnullis, „ex quibus est Hyme„naeus et Alexander, quos tradidi Satanae, ut discant non „blasphemare.“ [6])

Quid ergo? Estne hic modus loquendi ejus, qui est superior? an ejus, qui est nuntius? Estne modus loquendi mandatarii Christi? an mandatarii fidelium?

7. Quodsi adversarii ista omnia ex morali quadam, non juridica, student auctoritate explicare, quam Christi quondam praesentis amicitia Apostolis dedisset: ridiculum hoc sane est. Quid enim sibi volunt ista verba: „secundum potestatem, quam Do„minus dedit mihi“? Aut quomodo posset quis „Satanae tradere“, i. e. excommunicare, vi potestatis cujusdam non juridicae, sed moralis tantum?

Ita adversarii coguntur confugere ad hoc. quod Apostolis quidem juridica quaedam a Domino tradita sit potestas, eaque tamen ad successores Apostolorum non fuerit transmittenda.

---

1) 2. Cor. 10, 6.
2) 1. Cor. 4, 21.
3) 2. Cor. 13, 10.
4) 2. Thess. 3, 6.
5) 1. Cor. 5, 3—5.
6) 1 Tim. 1, 20.

Quodsi concedatur, habemus jam, quod hic contendimus: Christum fundasse Ecclesiam quandam visibilem, in eaque constituisse superiores, qui ipsius nomine praeessent. Illud enim nondum inquirimus, utrum Ecclesia a Christo fundata debuerit perseverare annon; sed hoc tantum, utrum fundaverit Ecclesiam quandam visibilem, juridicam, hierarchicam, in qua praeessent superiores, obedirent reliqui.

Sed ne hoc quidem effugium, quod Ecclesia Christi perseverare non debeat, adversariis relinquitur. Evidentissime enim S. Paulus potestatem suam transmittit ad Episcopos a se constitutos, et eodem modo ipsis vult obediri, quo sibi: „Praecipe haec et „doce", scribit Timotheo.[1]) Vel judicialem ipsi tribuit potestatem: „Adversus presbyterum accusationem noli recipere, „nisi sub duobus vel tribus testibus."[2]) Hebraeos monet: „Obedite „praepositis vestris et subjacete eis; ipsi enim per„vigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri."[3]) Corinthiis scribit, Titi „viscera abundantius" in iis esse, „re„miniscentis omnium vestrum obedientiam, quomodo cum „timore et tremore excepistis illum."[4]) Ipsum vero Titum monet: „Haec loquere et exhortare, et argue cum omni imperio. „Nemo te contemnat."[5])

Sed ne in iis quidem, quos ipsi constituerunt Apostoli, finienda est potestas a Christo tradita. Nam cum et ipsi alios constituere debeant, Tito mandat Paulus: „Reliqui te Cretae, ut ea, „quae desunt, corrigas, et constituas per civitates pres„byteros, sicut et ego disposui tibi."[6]) Et ne dubium relinquatur, unde tales presbyteri potestatem suam habeant, ita eos alloquitur S. Paulus: „Attendite vobis et universo gregi, in quo „vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere „Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo."[7])

Sanctorum Patrum pariter scripta plenissime testantur, quo loco habita sit primis Ecclesiae temporibus Episcoporum potestas.

1) Tim. 4, 11.
2) 1 Tim. 5, 19.
3) Hebr. 13, 17.
4) 2 Cor. 7, 15.
5) Tit. 2, 15.
6) Tit. 1, 5.
7) Act. 20, 28.

Scribit S. Ignatius († 107), Sancti Joannis Evangelistae discipulus, qui paucis annis post ipsius obitum martyr mortuus est: „Et quamdiu quis Episcopum tacentem videt, tanto magis eum re„vereatur; quemcunque enim paterfamilias mittit ad gubernandam „familiam suam, hunc ita accipere debemus ut illum ipsum, qui „mittit. Manifestum igitur est, quod Episcopum respicere oporteat „ut ipsum Dominum.“ [1]) Similiter scribunt S. Clemens Romanus († 92), S. Polycarpus († 166), S. Irenaeus († 202). Tertullianus († 245), ita ut Hase, qui inter eos theologos protestantes, qui contra Ecclesiam catholicam scripserunt, plurimum excellit et non vulgari contra Ecclesiam odio flagrat, ipsa rei evidentia coactus fateatur: „Catholicorum sententia vel in ipsis jam invenitur Ignatii epistolis.“ [2])

8. Vidimus illud systema hierarchicum, quale nunc in Ecclesia catholica viget, in ipsis jam Ecclesiae primordiis apertissime expressum. Adsunt superiores, a Christo sive mediate sive immediate constituti, qui Christi nomine leges condunt, imperant, puniunt. Adsunt subditi, qui cum reverentia illis obediunt. Habemus regnum visibile, quod magis magisque extenditur; visibilis est modus, quo quis recipitur, baptismum dico, visibiles sunt superiores. Et hi quidem non a subditis, neque a gubernio civili accipiunt potestatem, sed vel ab ipso Christo, vel ab iis, quos Christus constituit. Ideo hi superiores, ubi opus est, vel ipsis gubernii ministris illud verbum opponunt: „Obedire oportet „Deo magis, quam hominibus.“ [3]) Quare, si quod discrimen sit inter Ecclesiam primaevam et eam, quae nunc est, non quaeratur in eo, quod haec sit visibilis, hierarchica, illa non item, sed in eo, quod per decursum 18 saeculorum granum sinapis creverit in arborem permagnam.

Itaque non mirum, si theologi protestantes, qui nunc sunt, non jam, ut olim, audent, apud Pseudo-Isidorum aliosve posteriores quaerere illam, quam volunt, Ecclesiae catholicae a primaeva sua natura degenerationem, sed ascendere coguntur ad ipsos Apostolos.

1) Ignatii epist. ad Ephesios n. VI. (Patres Apost. ed. Hefele.)

2) Hase, Handbuch der protestantischen Polemik, 2. ed., p. 103. In re tam evidenti supervacaneum foret, plura adducere testimonia. Inveniuntur praeterea apud Roscovany, Monum. cath. pro independ. potest. eccl.; Bellarmin, Tract. de Eccl., lib. de laicis, cap. 17; Suarez, de legibus, lib. 4., cap. 1 et 8 etc.

3) Act. 5, 29.

qui non recte intellexerint Christi Domini voluntatem. Scilicet devenient forte et eo, ut asserant, Christum ipsum non bene intellexisse religionem christianam!

9. Atqui non apud Apostolos, sed jam in veteri testamento invenimus Ecclesiam ita praesignatam, ut sit regnum quoddam visibile. Verum illud quidem est: Judaei erraverunt, quod regnum quoddam hujus mundi, instar v. g. regni Darii regis vel Alexandri magni, Christo fundandum esse judicabant. Attamen solet aliqua veri particula omni subesse errori; huic vero errori haud obscure illa subest veritas, quod in multis veteris testamenti locis regnum Messiae venturi describitur esse visibile quoddam regnum.

Habemus imprimis Psalmistam, qui de Messia vaticinatur: „Deus judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis; judi„care populum tuum in justitia et pauperes tuos in judicio... Et „permanebit cum sole et ante lunam, in generatione et generatio„nem... Et dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine „usque ad terminos terrae.“ [1])

Rex igitur erit Messias, sicut et sacerdos est et propheta. Sed quum prophetae et sacerdotis munere functus sit modo profecto visibili, num minus visibile erit ejus regnum?

Etiam clarius apud Danielem ostenditur, fundaturum esse Christum regnum aliquod visibile. Nabuchodonosor enim rex in somnio statuam viderat, ex diversis materiis conflatam. Lapis de monte sine manibus abscissus comminuit statuam. Daniel vero regi hoc somnium ita explicat, ut distincte cognosci possint regna Babylonis, Medo-Persicum, Macedonicum, Romanum, Ecclesia catholica. Hanc autem ita pingit:

„In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus coeli „regnum, quod in aeternum non dissipabitur, et regnum „ejus alteri populo non tradetur. Comminuet autem et consumet „universa regna haec, et ipsum stabit in aeternum. Secundum „quod vidisti, quod de monte abscissus est lapis sine manibus „et comminuit testam et ferrum et aes et argentum et aurum, „Deus magnus ostendit regi, quae ventura sunt postea. Et verum „est somnium, et fidelis interpretatio ejus.“ [2])

Sed veniamus ad effata ipsius Christi Domini!

1) Psalm. 71.
2) Dan. 2,44 et 45.

10. Jesus, postquam per quadraginta dies et quadraginta noctes in deserto jejunavit, ut ad publicum praedicandi munus se pararet, in Galilaeam quum venisset: „Impletum est", inquit, „tempus, „et appropinquavit regnum coelorum." [1]) Similiter et discipulos suos in civitates misit, mandans: „Dicite illis: Appro- „pinquavit in vos regnum Dei." [2]) Sic et post resurrectionem „praebuit se ipsum vivum. . . per dies quadraginta apparens eis „(Apostolis) et loquens de regno Dei." [3])

Haec autem verba „regnum coelorum", „regnum Dei", quid sibi volunt? Numquid coelum? Estne „invisibilis quaedam et mere spiritualis fidelium societas", *(„eine unsichtbare, rein geistige Glaubensgemeinschaft")* [4]), quam volunt Protestantes? An est potius, quod nos vocamus Ecclesiam, i. e. congregatio fidelium, quae non tantum invisibili fidei vinculo, sed et externa et visibili hierarchia cohaeret? in qua praesunt superiores, subditi obediunt?

Sit, sane, intelligatur voce „regnum coelorum" ipsum nonnunquam coelum, vel etiam invisibilis illa fidelium communio: saepissime tamen in sacris Scripturis nihil aliud potest intelligi nisi regnum visibile, quod ideo vocatur regnum Christi, quia Christus illud fundavit; et regnum coelorum, quia per Christum quasi coelitus allatum est, et ad coelum homines per fidei praedicationem et sacramentorum administrationem perducit.

Quod evidentissime evincitur ex variis similitudinibus, quibus Christus naturam hujus regni accuratius describit.

Nam „parabolam proposuit illis, dicens: Simile factum est „regnum coelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro „suo. Quum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et „superseminavit zizania in medio tritici, et abiit. Quum autem „crevisset herba et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania. „Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne „bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? „— Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. — Servi autem dixerunt „ei: Vis, imus et colligimus ea? — Et ait: Non, ne forte, colli-

1) Marc. 1, 15. cf. Matth. 3, 2.
2) Luc. 10, 9. cf. 10. 11; 4, 43.
3) Act. 1, 3.
4) Geffcken, Staat und Kirche p. 48.

„gentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum. Sinite utra-„que crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam mes-„soribus: „„Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos „ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum.. .““

„Sicut ergo colliguntur zizania et igni comburuntur, sic erit „in consummatione saeculi: mittet Filius hominis angelos suos, et „colligent de regno ejus omnia scandala et eos, qui fa-„ciunt iniquitatem.“ [1])

Num hoc „regnum Filii hominis“ potest significare coelum? Non potest; in coelo enim nulla sunt scandala, quae colligantur. Num potest significare invisibilem quam volunt Protestantes Ecclesiam? Ne id quidem potest; ad ipsam enim neque pertinent „scandala“, sed tantum membra viva, quae, uti nos dicimus, sunt de anima Ecclesiae. Haec igitur verba solummodo intelligenda sunt de Ecclesia quadam visibili, quam fundavit Filius hominis, quamque idcirco vocat suum regnum. Quae utrum sit Ecclesia catholica an secta Lutheri, nondum inquirimus. Sufficit nobis hic: falsam esse theoriam protestanticam, secundum quam Christus tantum invisibile fundasset regnum, invisibilem tantum Ecclesiam, et Ecclesiae visibilis institutionem posteribus reliquisset saeculis hominumque arbitrio. Sacra enim Scriptura contrarium luculenter testatur.

Idem efficitur per aliam parabolam: „Iterum simile est regnum „coelorum sagenae missae in mare, et ex omni genere piscium „congreganti. Quam. quum impleta esset, educentes et secus littus „sedentes elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. „Sic erit in consummatione saeculi: exibunt angeli, et separabunt „malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis.“ [2]) „Mali“ autem non sunt, neque in coelo, neque in invisibili Protestantium Ecclesia. — Dicamus per transennam: eadem piscationis similitudine utitur Dominus, quum Apostolos vocat ad munus in posterum ipsis obeundum: „Venite post me“, inquit, „et faciam „vos fieri piscatores hominum.“ [3])

Alias parabolas obiter significemus: Comparatur regnum Dei grano sinapis, quod in magnam arborem crescit, ita ut volu-

1) Matth. 13, 24 seqq. 40. 41.
2) Matth. 13, 47—49.
3) Matth. 4, 19.

cres coeli habitent in ejus ramis[1]); comparatur nuptiis regis, e quibus ejicitur hospes, veste nuptiali carens[2]); comparatur decem virginibus, e quarum numero quinque sunt „fatuae“[3]). Quae omnia intelligi non possunt, nisi de regno quodam visibili, quod pro sociali hominum natura ad coelum ipsos perducat; Protestantium enim Ecclesia invisibilis non novit neque virgines fatuas neque hospites in veste non nuptiali.

Addamus, quod ipsa vox „regni“, sicut et arboris similitudo, supponit organismum quemdam socialem, ita ut collectio v. g. omnium, qui nunc sunt, Lutheranorum vel Judaeorum, non possit vocari regnum, neque arbori comparari, quum, liceat eandem fidem habeant internam, tamen propter divisionem in diversas Ecclesias vel Synagogas territoriales externo illo careant unitatis vinculo, sine quo non cogitatur regnum.

11. Jamvero quid ad haec omnia Protestantes? Quomodo omnia Sacrae Scripturae testimonia effugient? Quomodo probant, Ecclesiam visibilem a Christo non esse fundatam?

Imprimis ad plurimorum testimoniorum vim nullo modo attendunt. Reliquis opponunt, tamquam Achillem suum, effatum Christi: „Regnum meum non est de hoc mundo“[4]); qua in re supponunt, verba „de hoc mundo“ idem significare ac „visibile“; hinc inferunt, Christum asseruisse, regnum suum non esse visibile.

Sed videamus ipsos adversarios!

Geffcken autumat: Arma, quibus utebatur hierarchia medii aevi, v. g. interdicta, excommunicationes etc. „naturae religioni „christianae tamquam contraria adversabantur“ (ac si S. Paulus nunquam excommunicasset!). „Religio christiana tanquam spiri„tualis potestas in mundum venerat...

„Perfectissima consecutione cohaeret sibi systema dogmaticum „(catholicum), mirabili arte extructae sunt organismi partes, quo „fulcitur; evolvitur hierarchia, quae hic in terris salutem procurat, „a sacerdote usque ad Summum Pontificem, eique respondet hie„rarchia coelestis Sanctorum, Martyrum, Patriarcharum, Prophe„tarum, Apostolorum, cujus caput est mater Dei; maxime tamen

1) Matth. 13, 31 seqq.; Marc. 4, 30—32.
2) Matth. 22, 2 seqq.
3) Matth. 25, 1 seqq.
4) Joan. 18, 36.

„haec Ecclesia discrepat ab apostolica. Quid illi commune est cum „ea, cujus fundator dicit: „„Regnum meum non est de hoc mundo““[1])?

Quid illi commune est? Respondemus: illud commune est, quod Ecclesia catholica non minus nec plus, quam Ecclesia apostolica, a Christo fundata, est visibilis quaedam hominum societas, ex superioribus et subditis constans. Unicum discrimen illud est, quod granum sinapis factum est arbor permagna.

Bluntschli, qui viros religiosos catholicos e patria sua curavit pellendos, id quod et videri et sentiri poterat, similiter, ac Geffcken, pronuntiat de religione:

„In universum loquendo non est relatio juris humani, sed in„tima natura sua pertinet ad aeternum illud et spirituale regnum, „de quo Christus ait: „„Non est de hoc mundo.““[2])

Quorsum igitur, quaeso, Status, instigante ipso Bluntschlio, religionem tot „relationibus juris humani“, i. e. tot legibus injustis in vincula quasi conjecit?

Sed veniamus ad ipsa verba illa Domini, de quibus tot controversiae!

Duplici modo possunt haec verba intelligi: „Regnum meum non „est de hoc mundo“: vel de origine hujus regni, vel de ipsius natura.

Si spectes ipsa verba, de origine videntur intelligenda, ideoque affirmant, de coelo, i. e. a Deo, prodiisse Ecclesiam, non ab hominibus. Sic ea intelligit S. Augustinus, inquiens: „Non ait: *Regnum meum non est in hoc mundo*, sed *Non est de hoc mundo;* „nec dicit: *Non est hic*, sed *Non est hinc;* hic enim est usque „ad finem saeculi.“[3])

Verba, si ita intellexeris, non evincere, quod adversarii volunt, luce clarius est; nisi velis asserere, Deum non potuisse regnum visibile fundare.

Quodsi de natura hujus regni, ne tum quidem evincitur adversariorum assertum. Sic enim idem sonant, ac: „Regnum meum „non est mundanum“, i. e. non est civile atque profanum, sicut alia regna sunt, sed est ecclesiasticum. Atqui *ecclesiasticum* et *invisibile* non est idem; ergo minime evincitur, quod adversarii dicunt.

1) Geffcken, Staat und Kirche p. 172—173.

2) Bluntschli, Allgem. Staatsrecht II. § 252. 253; cf. Riess, Staat und Kirche p. 196.

3) S. Augustin. Tract. 115 in Joan.

Magis etiam absurda apparet adversariorum interpretatio, si spectes contextum. Volunt enim efficere adversarii, Ecclesiae non competere potestatem coactivam, neque legiferam, neque judicialem, neque executivam, quia talis potestas soli visibili regno competat, visibilem vero non esse a Christo fundatam Ecclesiam. Sed si Ecclesiae ex verbis istis neganda esset talis potestas, neganda etiam esset ipsi Christo.

En ipsa verba in contextu considerata!

Pilatus interrogaverat Christum: „Tu es rex Judaeorum?"

Respondet Christus: „Regnum meum non est de hoc mundo. „Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decer„tarent, ut non traderer Judaeis; nunc autem regnum meum non „est hinc."

Dixit itaque Pilatus: „Ergo rex es tu?"

Respondit Jesus: „Tu dicis, quia rex sum ego." [1])

Ex his verbis illud quidem efficitur, Christum non velle vi armata defendi, quamvis ipsi non desit jus ita agendi. Similiter, ac Christus, non solet Ecclesia vi armata se defendere; jus tamen vim adhibendi, multoque minus visibilis Ecclesiae natura, his verbis non negatur.

Accedit, quod et ipse Christus non fuit invisibilis, quamquam non erat „de hoc mundo"; accedit etiam, quod Apostoli non fuerunt invisibiles, quamquam pariter, asserente Domino, non erant „de hoc mundo" [2]). Ergo potest Ecclesia esse regnum visibile, et tamen non esse „de hoc mundo". Quare omittant tandem Gefficken, Bluntschli aliique Protestantes, inferre ex verbis supra laudatis, Christum non fundasse regnum visibile.

Putavimus, post interpretationem modo datam fore, ut tandem aliquando abstineant Protestantes ab interpretatione ista nimium trita et absurda, qua volunt, Christum illis verbis „Regnum meum „non est de hoc mundo" negare, visibilem a se institui Ecclesiam.

Sed nequaquam! Koehler enim (Consiliarius iste consistorii superior), ubi editionem nostram recenset Germanicam, ita de libello nostro effatur:

„Supponitur ubique, Ecclesiam esse regnum hujus mundi, insti„tutum quoddam Statibus simile, ejusque identitas cum regno Dei." [3])

1) Joan. 18, 33—37.

2) Joan. 17, 14—16.

3) Theologische Literaturzeitung, Lipsiae 23. Febr. 1884, pag. 97.

Pace Consiliarii dixerim: nihil supposuimus hac in re, sed cuncta probavimus, quapropter probationes nostrae erant refutandae. Sed, ut aperte res intelligatur, repetimus distinctionem: Ecclesia non est de hoc mundo perverso, est de hoc mundo visibili; sicut et Christus et Apostoli non erant de hoc mundo perverso, erant de hoc mundo visibili. Habemus fundamentum sic distinguendi, quia prorsus iisdem verbis Christus negat, Apostolos suos esse „de hoc mundo", quibus negavit, Ecclesiam esse „de hoc mundo".

Hoccine num tandem sufficit?

12. Sed nondum finivimus argumenta, quibus ostenditur, Christum fundasse Ecclesiam visibilem et hierarchicam. Major etiam in hac re patientia expetenda nobis est; pendet enim ex hac quaestione universa Ecclesiam inter et Statum relatio, ita ut vel ipse Geffcken fateatur, ex hoc „errore fundamentali" *(aus diesem Grundirrthum)*, quem vocat sententiam de visibili a Christo instituta Ecclesia, derivari „perfecta consecutione" *(mit vollendeter Folgerichtigkeit)* totum catholicismi systema.

Breviter attingamus rationem sequentem: Si vera esset adversariorum sententia, ex qua Christus invisibilem tantum constituisset Ecclesiam, Christus non legislator, sed tantum sacerdos et doctor extitisset. Apertissime autem egit etiam ut legislator. Ergo falsa est adversariorum sententia.

Egit ut legislator, instituendo sacramenta visibilia, quod vel ipsi Protestantes fatentur; egit ut legislator imprimis, reducendo matrimonium ad pristinam firmitatem, supprimendo divortium. Ait enim:

„Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimit„tere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic. Dico autem „vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornica„tionem, et aliam duxerit, moechatur, et qui dimissam duxerit, „moechatur." [1])

Addamus: Moyses, id quod omnes consentiunt, fuit legislator visibilis; lex Mosaica, id quod item omnes consentiunt, abrogata est, et quidem per Christum. Atqui lex visibilis non abrogatur, nisi per legislatorem visibilem. Ergo etiam Christus erat legislator visibilis. Jamvero legislator visibilis supponit regnum visi-

1) Matth. 19, 8. 9; cf. 1. Cor. 7, 10.

bile, ad cujus usum leges ferantur. Ergo Christus erat rex alicujus regni visibilis, quod aliud esse non potest, nisi Ecclesia ab ipso fundata.

13. Videamus iterum similitudinem quandam, qua ipse Dominus regni sui naturam explicat!

„Vineam pastinavit homo, et circumdedit sepem et fodit „lacum et aedificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregre „profectus est.

„Et misit ad agricolas in tempore servum, ut ab agricolis „acciperet de fructu vineae. Qui apprehensum eum ceciderunt, et „dimiserunt vacuum. Et iterum misit ad illos alium servum; et „illum in capite vulneraverunt et contumeliis affecerunt. Et rursum „alium misit, et illum occiderunt; et plures alios, quosdam caedentes, „alios vero occidentes.

„Adhuc ergo unum habens filium carissimum, et illum misit „ad eos novissimum, dicens: Quia reverebuntur filium meum. „Coloni autem dixerunt ad invicem: Hic est haeres; venite, occi„damus eum, et nostra erit haereditas! — Et apprehendentes eum „occiderunt et ejecerunt extra vineam.

„Quid ergo faciet dominus vineae? Veniet, et perdet colonos „et dabit vineam aliis!“ [1])

Haec vinea est populus et respublica Judaeorum; coloni sunt sacerdotes et scribae; servi, qui mittuntur a domino, sunt Prophetae; filius est ipse Christus Dominus. Quinam vero sunt alii coloni, qui, rejectis veteris testamenti sacerdotibus, vineam accipiunt? Quinam, nisi Apostoli aliique superiores vineae testamenti novi? Quae si visibilibus indiget vineatoribus, certe et ipsa erit visibilis, haud minus, quam vinea testamenti antiqui erat visibilis.

14. Possunt et alia adduci Domini effata, v. g. quum Apostolos comparat urbi in monte positae, vel quum illis dicit: „Vos estis lux mundi“ [2]), quod utrumque certe res est prorsus visibilis. Sed unam accuratius videamus similitudinem, illam boni pastoris, qua Dominus saepissime uti solet!

„Ego,“ inquit, „sum pastor bonus, et cognosco meas, et co„gnoscunt me meae, sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem. „Et animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo,

1) Marc. 12, 1 seqq.; cf. Matth. 21, 33 seqq.; Luc. 20, 9 seqq.
2) Matth. 5, 11—14.

„quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem „meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor.“ [1])

Ovile prius est synagoga veteris testamenti; illae aliae oves „quae non sunt ex hoc ovili“ intelliguntur ethnici. In quodnam igitur ovile adducendi sunt, ut fiat „unum ovile et unus pastor“? Num in illam synagogam? Nequaquam; nam haec erat soli populo Judaico instituta (exceptis paucis proselytis); praeterea ovile Christi esse desinebat, postquam optimum ipsum pastorem interfecit. Numquid adducendi sunt in Ecclesiam quandam invisibilem? At in hanc non quadrant neque ipsius ovilis similitudo neque analogia veteris testamenti synagogae. Ergo id solum relinquitur, ut verba intelligantur de Ecclesia quadam visibili, quam vocat Christus ovile suum, cujus ipse est pastor et in quam tum Judaeos, tum gentiles colliget.

Age vero, porro pergamus!

Ergo Christus est ille „unus pastor“, saltem quamdiu visibiliter in terris degit.

Sed post ejus discessum? Invisibiliter certe Christus permanebit pastor. Ecquid etiam visibiliter? — Distinguamus: per se ipsum jam non potest pascere visibiliter, quia non praebet se videndum. Igiturne per alium, per vicarium, a se constitutum pascit? — Utique. Aliter enim oves visibiliter aut omnino non pascerentur, aut certe non pascerentur a Christo, sed forte a gubernio civili, vel a pastoribus, quos ipsae oves constituerunt.

Ergo, ut in futurum etiam visibiliter pascantur a Christo, necessarium est, ut aliquis sit a Christo constitutus pastor vicarius. Jam vero quisnam ille est? — Videamus!

Legimus apud S. Joannem, quomodo Christus post recurrectionem discipulis apparuerit et cum illis prope lacum Genezareth pranderit. Pergit Evangelista:

„Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon „Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine; tu scis, „quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. — Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: Etiam, Domine; tu „scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. — Dicit ei „tertio: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia

1) Joann. 10, 14—16.

„dixit ei tertio: Amas me? et dixit: Domine, tu omnia nosti; tu „scis, quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas.“ [1])

Petrus igitur erit pastor universi gregis Domini, postquam hic discesserit in coelum; Petrus, ut vicarius Christi, erit pastor bonus; „et oves vocem ejus audiunt, et proprias oves vocat nomi- „natim et educit eas. Et quum proprias oves emiserit, ante eas „vadit, et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Alienum „autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem „alienorum.“ [2])

Petrus ergo praepositus est gregi; est enim pastor ipsius. Ipse gregis dominus praefecit eum, non est electus a grege; grex illi subditus est, eique tenetur obedire.

Ergo idem plenissime habemus, quod nos Catholici asserimus, Ecclesiam esse visibilem, hierarchicam, ab ipso Christo institutam, cui ipse Christus primum constituit superiorem!

15. Nominatio Petri, ut pascat in posterum gregem Domini, ad eam nos perduxit locorum seriem, qui non id solum ostendunt, instituisse Christum Ecclesiam visibilem, sed qui apertissime etiam ipsam collationem potestatis continent, quam superioribus a se constitutis ipse dedit. Verba enim: „Pasce agnos meos, pasce oves meas“ quid dicunt, nisi potestatem praecipiendi, vetandi, leges ferendi, puniendi? potestatem igitur juridicam superioris? Quod nisi dicunt, nescio quid dicant.

Non minore evidentia jam antea aliquando constituerat sibi Christus vicarios quosdam, dicens: „Qui vos audit, me „audit, et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me „spernit, spernit eum, qui misit me.“ [3]) Potestatem autem, quam confert Apostolis, aequiparat illi, quam ipse acceperat a Patre: „Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec quum „dixisset, insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum; „quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinue- „ritis, retenta sunt.“ [4]) Et ut indicet, potestatem a se factam sufficere ad omnia, missionem illam, qua mittit Apostolos ad omnes orbis terrarum gentes, hisce verbis enuntiat: „Data est mihi

1) Joann. 21, 15—17.
2) Joann. 10, 3—5.
3) Luc. 10, 16.
4) Joann. 20, 21—23.

„omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes „gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus „sancti, docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis. „Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumma- „tionem saeculi.“ [1])

16. Quantumvis perspicui sint textus, quos vidimus, superantur tamen perspicuitate, si fieri potest, duorum illorum textuum, quibus Christus tum Petro soli, tum ipsi cum ceteris Apostolis, potestatem promittit ligandi atque solvendi in terra, quodcunque voluerint.

Interrogaverat Jesus discipulos: quem homines ipsum putarent esse? Varia respondebantur. Tum Jesus: „Vos autem, quem me „esse dicitis? — Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus, „filius Dei vivi. — Respondens autem Jesus, dixit ei: Beatus es, „Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed „Pater meus, qui in coelis est. Et ego dico tibi, quia tu es „Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam „meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi „dabo claves regni coelorum: et quodcunque ligaveris „super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcun- „que solveris super terram, erit solutum et in coelis.“ [2])

Qui locus commentario non indiget. Neque magis alter ille locus modo citandus, in quo illud praenotemus, juridicam, ideoque visibilem omnino, Domino fuisse causam, cur de potestate juridica Ecclesiae universa diceret. En verba ejus:

„Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum „inter te et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; „si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, „ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non „audierit eos, dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit, sit „tibi sicut ethnicus et publicanus.

„Amen dico vobis: Quaecunque alligaveritis „super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque „solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.“ [3])

17. Itaque his omnibus non obstantibus dicunt Protestantes, et quidem illi quoque, qui Sacrae Scripturae se credere profitentur: Christum non fundasse

1) Matth. 28, 18—20.
2) Matth. 16, 15—19.
3) Matth. 18, 15—18.

Ecclesiam visibilem, non nominasse superiores, qui eam regerent, nullam juridicam dedisse potestatem superioribus!

Quid igitur faciunt de tota serie locorum, quos adduximus? Quosdam silentio premunt; quosdam contorquent ita, ut vim suam perdant. Sunt v. g., qui (Patrum quidem effatis quibusdam seducti) Christum non Petrum, sed Petri fidem volunt dixisse Ecclesiae fundamentum. Quasi cum Petri fide Dominus collocutus sit, non cum ipso Petro! Vel quasi fidei Simonis a petra imposuisset nomen, non ipsi Simoni![1]) Alii volunt, Christum se ipsum dixisse petram, quasi diceret: „Tu (Simon) es Petrus, et super hanc petram (id est super me) aedificabo Ecclesiam meam!"

Sed relinquamus istos. Nam vel ipse Hase cogitur fateri: „Jus interpretationis Romanae" (i. e. catholicae) „sequitur ex „allusione ad nomen Petri i. e. hominis petrae similis *(des Felsen-„mannes)*; non alius quam ipse potest significari petra illa, super „quam Christus vult aedificare Ecclesiam suam."[2]) Et censor noster clar. Koehler fatetur, „nusquam jam hoc in dubium „vocari, verba Domini referenda esse ad Petrum".[3])

Illud tamen hoc loco non videtur nobis omittendum, quomodo Geffcken rem sibi componat, ita tamen ut Ecclesiam non admittere cogatur visibilem, hierarchicam a Christo esse fundatam. Qui quidem non dubitat, quin necessaria sit Ecclesia visibilis. Ait enim:

„Hoc regnum Dei, i. e. communitas omnium fidelium, qui „Christum caput esse agnoscunt, unde et vitam et nutrimentum „et augmentum recipiunt, quum hominem educare debeat ad „supremum ipsius finem, necesse est secundum leges „rerum terrestrium, sit institutum quoddam externum, „visibile *(eine äusserlich erkennbare Institution)*; nulla enim „communitas, his in terris, quantumvis sit spiritualis „*(mag sie auch noch so geistig sein)*, diu esse potest sine firmo „ordine, sine constitutione *(Verfassung)*, sine terrenis „organis mediisque, quibus operetur. Visibilis haec et

1) cf. Jann. 1,42.

2) Hase, Handbuch der protestantischen Polemik p. 134.

3) Theolog. Literaturzeitung, Lipsiae, 23. Febr. 1884, p. 97.

„universalis christianismi apparitio *(Erscheinung)* est Ecclesia, „notio quaedam, ipsius omnino propria, in oppositione ad religiones „Statuum *(Staatsreligionen)* et Status religiosos *(Religionsstaaten)*, „qui ad particularem aliquam nationem restringuntur.“ [1])

Optime ille quidem! Quis igitur non putet, Christum dedisse Ecclesiae illud, sine quo diu esse non potest? Illum „ordinem firmum“? Illam „constitutionem“? Illa „organa et media terrena“? Idque eo magis, quum ipse loquatur de „aliis vineatoribus“, quibus tradenda sit vinea; quum Petro relinquat gregem pascendum, eique tradat claves regni coelorum; quum S. Paulus loquatur ex persona superioris a Christo constituti; quum Christus omnes Apostolos mittat, ut ipse erat missus a Patre, quumque illis solenniter dicat: „Quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo“?

Sed nequaquam! Catholicum enim esset, dicere Christum fundasse Ecclesiam. Ut „evangelica“ (i. e. protestantica) sit Ecclesia Christi, ipsa se constituat necesse est „institutum externum, visibile“, non Christus illam constituat! Idque vel eo discrimine, seu potius ea certitudine, ut Babylon illa ecclesiolarum et sectarum oriatur, quam reapse apud Protestantes videmus, necessariam videlicet eorum de Ecclesia doctrinae sequelam. Pergit enim Geffken:

„Christus non fundaverat theocratiam sensu Mosaico, Apostoli „vero, qui in Judaismi schola omnino legali adoleverant, bene perspexe„runt“, (quod Christus indoctus ille fabri filius ignoravit!!) „quan„tumvis operetur in Ecclesia Spiritus sanctus, non tamen debere „regnare in ipsa idealem illam formarum atque regularum priva„tionem *(keine ideale Form- und Regellosigkeit)*; ipsamque, utpote „in mundo hostili collocatam, sibi dare debere ordinem quendam „externum, manifestando fidem suam symbolo et concredendo doc„trinam atque liturgiae omniumque aliarum rerum ecclesiasticarum „ordinationem illis, qui negotio huic maxime viderentur apti“ (quasi Christus ipse non jam antea hoc fecerit!).

„Ordo ecclesiasticus antiquissimus pro rei natura simplicissi„mus erat; nihil erat, nisi constitutio communalis *(Gemeinde-Ver„fassung)*, quaevis communitas se ipsa regebat“ (quasi nunquam S. Paulus superior diversarum communitatum absens excommuni-

1) Geffcken, Staat und Kirche, p. 48, 49.

caverit!). „Apostoli, immediati Domini discipuli, potestatem „quandam exercebant sponte sibi concessam“ (quasi S. Paulus solitus fuerit praecipere et punire, non potestate a Christo accepta, sed potestate sponte sibi a fidelibus cencessa!).[1])

Potestne quis majore levitate phantasias suas substituere testimoniis historicis, quam Geffcken hic substituit?

Sed videamus, qua ratione nonnulla ex testimoniis istis tractet!

18. Christus tamquam medium ultimum componendi lites suaserat: „Dic Ecclesiae“; addideratque ad ostendendam Ecclesiae potestatem lites dirimendi: „Amen dico vobis: Quaecunque alli„gaveritis super terram, erunt ligata et in coelo etc.“[2])

Quid ergo Geffcken? Silentio premere totum hunc locum, sapuisset ignorantiam; proferre ultima illa verba, videbatur periculo plenum. Quid ergo? Affert verba priora, omittit posteriora, dicitque:

„Sed non solum de rebus pure ecclesiasticis decidebant qui „a communitatibus constituti erant *(die Organe der Gemeinde)*; „christiani se debebant habere familiam unam, magister ipsis prae„ceperat: Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe „eum inter te et ipsum solum; si te non audierit, adhibe tecum „unum vel duos, quodsi non audierit eos, dic communitati.“[3])

Vocem enim Graecam „ἐκκλησία“ (ecclesia) vertendam putat Geffcken vocabulo „communitatis“ *(Gemeinde)*; quasi ad litem ejusmodi finiendam Berolini v. g. convocandi sint omnes parochiales paroeciae ad S. Hedwigis!

Sed quod potissimum est, cur omittit verba, quae sequuntur: „Amen dico vobis: Quaecunque alligaveritis super terram, „erunt ligata et in coelo“? Et quem nexum logicum vult afferre inter „dic Ecclesiae“ et „quaecunque alligaveritis“? — Secundum interpretationem catholicam omnia clarescunt; sensus enim est ac si dicat: Si adversarius non vult acquiescere, dic Ecclesiae, i. e. praepositis ecclesiasticis; et ne dubitetur, quin hisce insit potestas lites cum auctoritate decidendi, dico vobis, Apostolis meis: Quaecunque alligaveritis etc.

19. Simili modo eludit Geffcken alium illum locum apud S. Matthaeum 16 (cf. supra p. 57). „Etiam“, inquit, „de temporis

1) Geffcken, Staat und Kirche, p. 71.
2) Matth. 18; cf. super p. 57.
3) Geffcken, l. c. p. 79.

„posterioris interpretatione papali noti illius verbi Christi: „„Tu „„es Petrus et super hanc petram volo aedificare communitatem „„meam““ nihil invenitur apud Patres illius temporis.“ Cujusnam temporis? Adducuntur dein loci quidam Patrum posteriorum, quos adversari vult „interpretationi papali“, quorum textus tamen accuratius allegare omittit — et iterum tota res est acta, quamvis nullum verbum fecerit de verbis „quodcunque ligaveris“.

Itane vero clarissimo Geffcken contemta videtur „interpretatio papalis“, ut recuset accuratius in illam inquirere? An minus ipsi loci est in 673 paginis ejus libri, quem „de Statu et Ecclesia“ scripsit, quam ut accuratius in fundamentalem hunc locum inquirere possit? Et cur ad Patres confugit, negligit ipsa sacrae Scripturae verba?

Quodsi ad Patres provocat, vehementer dubitamus, ipsine rem decidant pro Geffcken, quacunque figere velit limites „Patrum temporis“. Si enim Patres illius intelligit temporis, quo scripsit S. Matthaeus, hi nulli sunt; si vero Patres recentiores, hi contra ipsum potius testantur.

Videamus saltem nonnullos ex multis illis, quos jam recenset Cardinalis Bellarminus[1]):

Patres 630 Concilii Chalcedonensis (451) Petrum vocant petram et crepidinem Ecclesiae catholicae. Origenes († 254) loquitur de ipso tanquam de magno illo Ecclesiae fundamento et petra solidissima, super quam Christus fundavit Ecclesiam, cui summa rerum de pascendis ovibus tradita sit. S. Athanasius († 373) ait: „Tu es Petrus, et super fundamentum tuum Ecclesiae „columnae (id est) Episcopi sunt confirmatae.“ S. Basilius († 379): „Petrus propter fidei excellentiam Ecclesiae aedificationem „in se ipsum suscepit.“ „Ille beatus, qui caeteris praelatus discipulis fuit, cui claves regni coelestis commissae.“ S. Epiphanius († 402): „Dominus constituit Petrum primum Apostolorum, petram „firmam, super quam Ecclesia Dei aedificata est.“ S. Chrysostomus († 407): „Petrum Ecclesiae futurae pastorem constituit.“ Tertullianus († 245): „Latuit aliquid Petrum aedificandae „Ecclesiae petram dictum?“ S. Cyprianus († 258): „Petrum „Dominus primum elegit et super eum aedificavit Ecclesiam suam.“ S. Hieronymus († 420): „Inter duodecim unus eligitur, ut capite

1) Bellarmin. De Rom. Pont. lib. 1, c. 10 et 25.

„constituto schismatis tolleretur occasio.“ S. Augustinus († 430): „Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede; ipsa est petra, quam „non vincunt inferorum portae.“

20. Obiter tantum attingit Geffcken[1]) verba S. Petri coram synedrio: „Obedire oportet Deo magis, quam hominibus“ (cf. supra p. 42). Geffcken videtur nobiscum consentire, Petrum accepisse a Christo mandatum praedicandi, ac vi hujus mandati obligatum fuisse ad contraveniendum active prohibitioni illi „magistratus Judaico-nationalis“. Sed nescio quomodo obliviscatur Geffken, sive agnoscere, sive refutare, quod exinde modo maxime obvio sequitur: Christum dico contulisse S. Petro munus aliquod visibile, ideoque constituisse hierarchiam quandam visibilem.

21. Concilium Apostolorum, Hierosolymis habitum[2]), absolvitur a Geffcken[3]), ita ut de decreto a Concilio facto nihil proferatur, nisi prima verba. Frustra quaesivimus apud ipsum gravia illa Apostolorum verba: „Visum est Spiritui sancto et „nobis“; frustra item illa, quibus praedicantes a nullo missi ab Apostolis vocantur homines, „quibus non mandavimus“. Omnia fere absolvuntur a Geffcken hisce verbis: „Conventus ejusmodi „nihil habuit commune cum synodis temporis posterioris, ideoque „nec iterabatur. Synodi potius tum demum esse coeperunt, ex quo „in secunda parte saeculi secundi coeptae sunt disceptationes de „doctrina per communem auctoritatem decidi.“ Quasi idem non factum sit in Concilio Apostolorum!

Decretum ab Apostolis factum vi legis caruisse ideo praesertim in dubium vocat Geffcken, quia non ubique observatum sit. Quasi lex non possit esse valida, si a quibusdam spernatur!

22. Hoc vel simili modo eluduntur a Geffcken argumenta, quae invicte probant Ecclesiam aliquam visibilem a Christo fundatam. Itaque quum secundum Geffcken Ecclesia catholica non sit opus Christi, non sit opus Dei (quamvis Daniel ipsam comparet lapidi, „sine manibus“ de monte abscisso), necesse est, ipsam post Christi tempora ab hominibus originem cepisse. Quod, quomodo factum sit, per decursum libri ostendere conatur.

Num talis argumentatio, quae fontes praecipuos, sacrae Scripturae libros, ita tractat, dici valeat historica, legentium judicio

1) Geffcken, l. c. p. 54.
2) Act. Ap. 15; cf. supra p. 36 seqq.
3) Geffcken l. c. p. 76 et 102.

relinquimus. Nobis in memoriam revocatur effatum illud, quod Demosthenes objicit Atheniensibus: „Quod quis optat, hoc et credit; de facto vero nonnunquam res aliter se habent."

Nos autem ita concludamus: si vir doctrinae singularis, qualis est Geffcken, non meliorem viam invenire potuit ad evertendam catholicam doctrinam de visibili per Christum fundata Ecclesia, invictissimis documentis patet hanc doctrinam esse superstructam.

23. Paucis absolvamus alium auctorem, clarissimum Martens, qui et ipse hac de re scripsit. Fatetur hic: „Systema hierocra-„ticum solido nititur fundamento, et modo sibi bene cohaerente „elaboratum est. Veritas, ex qua systema procedit, concordat „omnino cum sacra Scriptura, scilicet: aeterna superare terrena, „et institutum illud, quod ad aeternas sedes perducit, pluris esse „debere, quam patriam terrenam cum temporaneis et transitoriis „suis institutis." [1]) Sed addit: „Nunquam tamen poterit ipsa theoria „in sacra Scriptura ostendi, neque sequelae ipsius per indubia „sacrae Scripturae effata stabiliri."

Utique non poterit, si praecipui sacrae Scripturae loci atque sequelae ex iis deducendae omnino negliguntur! Si cum Martens proferuntur ejusmodi sententiae: „Neque in Evangeliis, neque in „literis Apostolicis quaestiones politicae et juridicae discutiuntur" [2]); vel „Revelatio novi testamenti nullatenus nos edocet de relatione „Ecclesiae ad Status" [3]); et si ad ultimum haec conclusio deducitur, vel ob eam solam causam „Summorum Pontificum de hac re decla-„rationes non pertinere ad objecta infallibilis doctrinae". [4])

Nobis quoque bene compertum est, sacram Scripturam non esse manuale quoddam juris canonici, multo minus juris civilis. Sed et illud scimus, fieri non posse, ut quis recte judicet de relationibus juridicis inter Ecclesiam et Statum, nisi prius bene perspexerit utriusque naturam ac jura; scimus praeterea, Statuum jura eruenda esse potissimum e jure naturae, non puro illo quidem, sed conditionato, i. e. quod revelationis habeat rationem; jus enim purum naturae non est, nisi in theoria, non in praxi, praesertim

1) Martens, Die Beziehungen der Ueberordnung, Nebenordnung und Unterordnung zwischen Kirche und Staat (Stuttgart 1877) p. 23.

2) Martens, l. c. p. 1.

3) Martens, l. c. p. 29; cf. p. 1—3.

4) Martens, l. c. p. 65.

postquam Ecclesia fundata est; denique scimus, Ecclesiae jura omnia petenda esse e revelatione, ita ut, qui revelationis fontes, imprimis sacram Scripturam, negligat, non possit recte de relationibus Ecclesiam inter et Status judicare.

24. Hinc factum est, ut et alius quidam auctor, qui hac de re scripsit, professor Hinschius Berolinensis, acerrimus ille Status Borussici in impugnanda Ecclesia instigator, a veritate omnino aberraret. Nequidquam enim apud ipsum quaesivimus sacrae Scripturae textus praecipuos, si excipias notam aliquam [1]), qua textum ex Actibus Apostolorum, quod oporteat Deo magis obedire, quam hominibus, obiter omnino tangit. Ne operae quidem pretium videtur existimasse, refutare catholicam interpretationem textuum, quos solemus adducere.

25. Vere hilaritate nos affecit, quod Koehler, quem supra memoravimus, de libello nostro dicit: „Nullum invenitur studium, „exegetice et historice intelligendi biblicam regni Dei ideam.“ [2]) Hoc dicit, postquam 27 paginis hanc quaestionem tractavimus!

Ipse nimirum non bene in hanc quaestionem intrare potuit, aliter concedere cogeretur, catholicam regni Dei ideam esse exegetice et historice veram. Quo semel concesso actum erat de ipso; nam ipse iterum de libello nostro fatetur:

„Cui de fundamento constat, de catholica Ecclesiae notione, „huic omnia sponte fluunt“ (*„dem . . . ergiebt sich Alles von selbst“*). [3])

26. Denique, ne theologi Protestantes objicere possint, nos silentio eorum Achillem praeteriisse, dicamus aliquid etiam de Professore Hase ejusque modo catholicam Ecclesiae notionem refutandi.

Cujus liber [4]) numerandus est inter praecipuos, qui unquam contra religionem catholicam a Protestantibus conscripti sunt. Naturam libri sic depingamus: Est liber causidici, qui plurima legit, multaque praeditus est ironia, ita ut malas etiam, si opus sit, causas bene defendere sciat. Indolem protestanticam ita prae se fert, ut negative potissimum se habeat. Catholici enim primo

1) Hinschius, Staat und Kirche, in Marquardsen, Handb. des öff. Rechts (Freiburg und Tübingen 1883) t. 1. p. 232.

2) Theologische Literaturzeitung, Lipsiae, 23. Febr. 1884, p. 97.

3) ibidem p. 99.

4) Hase, Handbuch der protestantischen Polemik gegen die römisch-katholische Kirche, 4. ed., Lipsiae 1878.

loco id efficere solent: religionem suam esse veram; Hase contra et Protestantes generatim non suae religionis veritatem, sed oppositae, i. e. catholicae religionis, falsitatem ostendere nituntur. Sponte argumenta relinquit, quibus olim Protestantes religionem catholicam aggrediebantur; sed affert nova, ita ut et in hoc eluceat Protestantismi natura, qui in negando semper maneat idem, in affirmando novas in dies species ostendat. Argumenta debilia, quibus Catholicus aliquis aliquando usus est, evellere studet, ut homines falsam esse eam causam judicent, pro qua falsum allatum erat argumentum. Bona Catholicorum argumenta, quantum fieri potest, omittit. Non veretur, jocis uti atque historiunculis, v. g. de parvo illo Judaeo Mortara. Theologus catholicus, si videt, quam multa ex illis, quae affert Hase, sint falsa, et quanta nihilominus verisimilitate congerantur, ea demum mente librum reponit, ut ipsi persuasum sit, eadem facilitate, qua religionem catholicam aggreditur, potuisse Hase etiam id probare: angelos omnes esse nigros.

Sed videamus jam, quid Hase ad rem nostram proferat. Evitare studet hanc quaestionem, utrum generatim visibilis aliqua Ecclesia a Christo fundata sit; hinc plurimos S. Scripturae locos, quos adduximus, nullo modo tangit. Praecipui tamen quidam textus silentio premi non poterant. Quomodo illos in suam sententiam detorqueat, ostendamus:

a. Refutandus erat locus, quo „Apostoli et Seniores fratres“ in Concilium collecti decernunt: „Visum est . . Spiritui Sancto et nobis etc.“ [1]) Hic locus, qui evidentissime testatur, modo hierarchico Catholicorum usam esse Ecclesiam primitivam, redigendus erat in eam formam, quâ congrueret modo democratico Protestantium. Introducenda igitur erat „universa Ecclesia“, i. e. omnes laici, ut et ipsi decretum sancirent; (quamvis nec sic quidem poterat removeri character hierarchicus ex illis verbis: „Visum est . . Spiritui Sancto et nobis.“)

Quid Hase? Singulari quadam dexteritate e medio quasi removet versus (Act. 15, 23 et 16, 4), qui diserte Apostolis et Presbyteris, non „universae Ecclesiae“ tribuunt decreti sanctionem; sed mentionem facit eorum, quae praecedunt (Act. 15, 22); loquitur enim de Concilio Apostolorum, quod „decretum suum sanxit tan-

1) Act. Ap. 15, 23 seqq. — Cf. supra p. 37 seqq.

„quam id, quod „„Spiritui Sancto et nobis““, i. e. Apostolis, Pres-„byteris cum universa Ecclesia Hierosolymitana bene „placuit.“ [1])

Si quis legens non bene attendat, facillime inducitur in eam opinionem, non tantum desiderium decreti, sed et ipsam decreti sanctionem adscribi in Sacra Scriptura „universae Ecclesiae“, quamvis versus Act. 15, 23 et 6, 4 (quos Hase omittit) contrarium probent; ita ut Hase denique asserere possit (quasi probatum sit): „Decretum factum est ab universa Ecclesia“ *(es „wird der Beschluss gefasst von den Aposteln, den Aeltesten „und der ganzen Gemeinde“)*[2]). Omiserat enim dicere lectori, in ipsis decreti verbis (Act. 15, 23) nullum esse sermonem de „universa Ecclesia“.

b. Eliminandus dein erat ille locus, ubi Christus, antequam hunc mundum relinqueret, solemni mandato totum gregem, agnos et oves, Petro pascendum tradit.[3])

Quid Hase?

„Nihil est, nisi interpretatio Romano-rabbinica, quod in triplici illa „repetitione: „„Pasce agnos meos!““ cum variatione: „„Pasce oves „„meas!““ duo Ecclesiae elementa, laici et sacerdotes, intelligenda „sint, primo ergo ipsi Apostoli tamquam oves, ideoque sic traditum „sit Petro munus pastorale, i. e. regimen universae Ecclesiae. Sed „traditio haec nihil est, nisi plena restitutio in munus Apostolatus „post contritionis lacrymas; triplex interrogatio: „„Amas me?““ „innuit triplicem negationem amoris illius; variatio verbi *agnorum* „et *ovium* convenit usitato stylo hebraico orationis poeticae vel „solennis.“ [4])

En totum! Sed tamen ipse Hase fatetur, „traditum“ fuisse aliquid. Quid igitur traditum est, nisi munus pastorale? Et super quid, nisi super agnos simul et oves, ergo super totum gregem?

Sentire videtur Hase, non sufficere responsum a se datum; ideo videlicet indirecte conatur extricare se per aliud responsum ex verbis istis Christi Domini nimium claris. Aliunde nititur ostendere, concedi non posse, Christum Petro Primatum tradidisse.

1) Hase, Protest. Polemik, 4. ed., p. 17.
2) Hase, l. c., p. 123 et 158.
3) Jo. 21, 15—17; cf. supra p. 55.
4) Hase, l. c., p. 121, 122.

Et quomodo id ostendit? Eo, quod alio loco [1]) Christus Apostolos hortetur ad humilitatem, unde effici, ipsum S. Petro non contulisse Primatum!!

Noli vero credere, benevole lector, nos primo Protestantium controversistae imponere id, quod eum dixisse incredibile videatur; habes ipsa Professoris Jenensis verba, fideliter translata:

„Litigantibus Apostolis de superioritate, sive amoris, sive ejus, „quod tunc somniabantur, regni, Christus nemini ex ipsis solemniter „contulit Primatum istum, ut hoc modo litem componeret; sed „infantem ponit in medio, quod nihil de praelatione scit, et ipse „servi famulatum illis exhibet. Nemo debet regnare inter illos, „sicut regnant domini hujus mundi.“ [2])

Sed proh dolor! Nimium videtur probasse clariss. Hase. Secundum ipsum enim ne Christus quidem videtur Primatum habuisse discipulorum; fuit enim humillimus, et famuli ipsis praestitit servitia!

Supervacaneum videtur, diutius immorari in refutanda hac futili argumentatione.

c. Accedamus tandem ad textum illum solennem: „Tu es „Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et „portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves „regni coelorum; et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum „et in coelis etc.“ [3])

Vidimus jam, Hase relinquere in hoc textu explicando illam viam (utique nimium absurdam), quam olim Protestantes tenebant, quum dicerent: petram significare Christum, vel Petri fidem, non ipsum Petrum. Sed quomodo nihilominus evadit Hase ex evidentia hujus textus? Quo sensu ipse putat, Petrum a Christo esse dictum „petram“?

„Petrus“, ait Hase, „fundavit, quod Christus ab ipso expecta- „verat, Ecclesiam matricem Hierosolymis, fuit etiam secundum „Actus Apostolorum intermedius, ut ad Ethnicos transferretur, ac „primis annis ubique, praesertim periculis se objiciendo, primas „tenet partes.“ [4])

Mirum sane! Quatuor enim lineis superius ipse Hase illustraverat hoc „ubique periculis se objicere“ hisce verbis:

1) Matth. cap. 20.
2) Hase l. c., pag. 121.
3) Matth. 16, 18 et 19.
4) Hase l. c., pag. 121.

„Petrus non erat petra . . . quum, timore zelotarum Judai-„corum perductus, universalem negaret christianismi evolutionem „*(die welthistorische Entwickelung des Christenthums)*, quumque ab „ejus Apostolo dure ideo corriperetur.“ [1])

Videtur sane Christus Dominus in hominibus errasse, Petrumque habuisse pro Paulo, si Petrum non propter Primatum conferrendum, sed (quod Hase vult) propter illud „ubique periculis se objicere“ dixit „petram“!

Sed mittamus hoc! Velim tamen nexum logicum scire, qui intercedit inter eas qualitates, quae secundum Hase Petrum constituunt petram, et inter verba Domini: nunquam fore, ut portae inferi praevaleant adversus Ecclesiam.

Hase respondet ad hanc quaestionem, et, si recte intelligimus subobscura ejus verba, hic est sensus: Quia plus quam mille annos permansit Petri spiritus externalis (externa tantum respiciens, *Geist der Aeusserlichkeit*) in Ecclesia Romana. Portae inferi igitur secundum Hase idem fere sunt, ac Protestantismus, qui hunc „spiritum externalem“ tandem expulit? Et Christi promissio, nunquam fore, ut portae inferi praevaleant adversus Ecclesiam, vim habet tantum usque ad saeculum XVI.? Et ipse Hase, qui juvat in expellendo „spiritu externali“, pertinet ad portas inferi? Nos saltem non aliter possumus intelligere verba ejus. Fortasse alii aliam invenient interpretationem. En ipsa iterum verba:

„Hoc sensu impleta est prophetia Domini. Ecclesia super „Petrum aedificata, quae ipsius nomen invocat, plus quam mille „annos dominabatur, portae Hadis non praevaluerunt adversus eam; „etsi Petri spiritus saepe nonnisi umbra phantastica super ipsam „versabatur *(schwebte)*, voluerunt tamen characterem et modum „agendi ipsi proprium in ea agnoscere, sicut et gladio percussit „et plus quam semel Dominum una cum libertate christiana negavit, „sed sine Petri lacrymis.“ [2])

Revera igitur Hase, dum scribit contra hanc Ecclesiam, evidenter fatetur, se idem negotium agere, quod moliuntur portae inferi!

Sed crescunt difficultates, quibus se intricat Hase. Quid enim, quaeso, volunt sibi ista verba: „Tibi dabo claves regni

1) Hase, l. c. p. 121.
2) Hase, l. c. p. 123.

„coelorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et „in coelis etc."? Quid volunt, si Petrus constituitur petra, non Primatu jurisdictionis, sed fundatione Ecclesiae Hierosolymitanae, fortitudine sua alliisve rebus?

Hanc quoque difficultatem Hase facile transilit:

„Claves, symbolum potestatis regnum Dei administrandi, postea, „licet sine figura, omnibus concessit Apostolis." [1])

Bene! Hoc aliqua specie dici poterat hoc loco, ubi Hase de Primatu agit, quatenus opponitur Episcopatui; quamvis quilibet puer catholicus, bene in religione instructus, facile solvat hanc difficultatem. Sed scire velimus, quomodo removeat principium hierarchicum catholicum in genere, i. e. communem omnium Apostolorum superioritatem ex verbis Sacrae Scripturae! Frustra ejusmodi interpretationem quaesivimus apud Hase.

27. Haec igitur sunt effugia, quibus uti cogebatur primus Protestantismi controversista, ut vim effugeret eorum textuum, quibus constat, Christum fundasse Ecclesiam aliquam visibilem, hierarchicam, sensu Catholicorum.

Nos vero jam finem imponamus huic inquisitioni, ejusque hanc proponamus summam:

Christus fundavit Ecclesiam visibilem, i. e. communitatem quandam hominum, e superioribus et subditis compositam; Christus ipse, nullo intermedio Statu, concessit istis superioribus potestatem ligandi atque solvendi „quodcunque".[2]) Haec potestas erat fundamentum sufficiens, vi cujus ulterius potuit evolvi juridica Ecclesiae constitutio.

2. Estne Ecclesia catholica, quae nunc est, eadem, quam fundavit Christus?

Cum atheis, ultimum juris fundamentum negantibus, ut vidimus, ulterius de Ecclesiae et Statuum juribus disceptari non potest, neque etiam cum Protestantibus, priusquam concesserint, quod luculentissime Sacra Scriptura testatur, Christum fundasse Ecclesiam quandam visibilem. Quomodo imprimis Protestantibus probaremus, eam Ecclesiam catholicam, quae nunc est, esse idem corpus sociale,

1) Hase, l. c. p. 120

2) Encycl. „Immortale Dei" n. 16 et 17.

quod constituit Christus? Quomodo, inquam, quum Protestans neget, Christum constituisse ejusmodi corpus sociale?

Solis igitur cum Catholicis hac in re potest nobis esse sermo. Cum his autem brevissime res absolvi potest, quum dogma catholicum sit, visibilem nostram Ecclesiam esse a Christo fundatam. Paucis tamen in memoriam vocemus hujus rei quaedam argumenta!

1. Christus supponit et asserit, Ecclesiam suam mansuram esse usque ad finem saeculi; Apostolis enim, quibus Ecclesiam regendam reliquit, dicit: „Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi" (Matth. 28, 20); et alio loco: „Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis" (Matth. 10, 23). Jamvero praeter Ecclesiam catholicam nullum extat nostris diebus corpus sociale, quod originem suam, tanquam Ecclesiae visibilis, a Christo Domino petat: ergo Ecclesia catholica necessario est Ecclesia illa, quam fundavit Christus; nisi dicere velis, Christum erravisse vel nos in errorem duxisse.

2. Idem efficitur, si modo inverso argumenteris et a tempore nostro incipias. Visibilis enim, quae nunc est, Ecclesia catholica, originem aliquam oportet habuisse; et eam quidem certam et claram, quum agatur de re maximi momenti, quae tempore historico peracta est. Jamvero alia origo assignari nequit, nisi fundatio illa per Christum facta, quam ostendimus: ergo haec est ejus origo.

Fallibilistis assignamus annum quo secta eorum orta est, annum 1870, „Evangelicis" Borussiae annum 1817, diversis Lutheranorum Ecclesiis (in Bavaria, Dania, Suecia etc.) annos varios saeculi XVI., Eutychianis, Nestorianis aliisque schismaticis et haereticis orientalibus alium aliquem annum. Quis tandem censendus est annus fundationis Ecclesiae catholicae, nisi eo modo sit per Christum fundata, quo supra exposuimus? Nullum poterunt adversarii indicare, et quando conantur, maxime inter se discrepant, ut vel haec discrepantia erroris evidentissimum sit indicium.

3. Directe, id est omnium XIX saeculorum testimoniis, ostendere possumus, eum organismum socialem, cui nunc praeest Summus Pontifex, esse eundem, quem fundavit Christus. Omnes 260 fere enumerare valemus regni hujus monarchas, inde a Petro usque ad Leonem XIII. Nam etsi de nonnullis controvertitur, v. g. utrum Cletus et Anacletus idem fuerit, vel, quinam fuerint legitimi

Pontifices ineunte saeculo XV.: hinc tamen nullum dubium inducitur in eam quaestionem, utrum organismus ille socialis, de quo agitur, sit idem, annon.

Constat igitur: eam Ecclesiam catholicam, quae nunc est, esse fundatam a Christo, et esse instructam juribus illis, quae Christus Ecclesiae suae reliquit.

3. Quaenam sunt igitur generatim Ecclesiae catholicae jura?

1. E superioribus fluit: Ecclesiam catholicam accepisse ab ipso Dei Filio potestatem, usque ad consummationem saeculi permansuram, ligandi atque solvendi super terram „quaecunque".

Ubi lex non distinguit, ne nos quidem distinguere debemus. Sine ulla igitur ratione diceretur v. g: Ecclesiam habere potestatem in homines singulos, non in familias, communitates, Status. Quapropter Summus Pontifex Pius IX rejecit „falsas ac perversas „opiniones", quae eo spectent, „ut impediatur et amoveatur salu„taris illa vis, quam catholica Ecclesia ex divini sui Auctoris „institutione et mandato libere exercere debet usque ad consum„mationem saeculi non minus erga singulos homines, quam erga „nationes, populos summosque eorum Principes" [1]).

Itaque si quis Ecclesiae vindicare vellet omnipotentiam quandam juridicam, multo speciosioribus posset uti rationibus, quam quibus pantheistae Statibus ridiculam illam omnipotentiam vindicare student.

Nihilominus quadruplex asserenda est limitatio potestatis ecclesiasticae.

a. Supponendum non est, Christum voluisse potestatem Ecclesiae relinquere fine carentem. Quidquid ergo nullatenus spectat ad finem Ecclesiae, non videtur contineri verbis illis: „Quodcunque ligaveris."

b. Supponendum non est, Christi fuisse intentionem, ut Ecclesia omnino arbitrarie ageret, nulla justitiae distributivae ratione habita. Etsi igitur imponere possit tributa ad sustentandum cultum divinum et similia, sicut et Status ea imponere potest ad res

1) Pii IX. Encycl. „Quanta cura" d. 8. Dec. 1864. — Cf. Gregorii XVI. Encycl. „Mirari" d. 15. Aug. 1832.

suas: non tamen potest arbitrarie nonnullis fidelium totum onus imponere, aliis imponere nihil.

c. Potestas Ecclesiae (quod quidem ex fine ejus jam colligitur) sensu saltem perfecto non extenditur, nisi ad eos, qui per baptismum facti sunt subditi illius.[1])

d. Denique observandae sunt restrictiones illae, quas ipse Christus potestati generali a se concessae apposuit. Quae restrictiones tamen probandae sunt, ut observentur. Huc spectat, quod Ecclesia non potest solvere matrimonium consummatum inter fideles.

Quod in his quatuor restrictionibus non continetur, pertinet ad Ecclesiae potestatem. Quâ ut utatur nullâ indiget Statuum licentiâ, quum immediate a Deo eam acceperit. Similiter ne limitare

1) Diximus: „sensu saltem perfecto". Saepissime quidem apud canonistas occurrit sententia, non baptizatos nullatenus subjici Ecclesiae. Cui sententiae non videmus, quomodo plene acquiescere possimus. Nam Summus Pontifex Gregorius XIII. compellit Judaeos „interdicti cum fidelibus commercii, et aliis „poenis arbitrio Ordinarii pro contumaciae modo imponendis" ad conciones frequentandas, quibus de christianae religionis veritate edocerentur. (Gregor. XIII. c. „Sancta mater" d. 24. Sept. 1584, § 2.)

Neque dicas (cum Craisson, Manuale n. 3141), hic agi solum de ditione temporali Summi Pontificis. Loquitur enim „praesenti constitutione g e n e r a l i . . . o m n i b u s Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis etc." (§ 1 cit.), iisque injungit, ut Judaeos dicto modo compellant. Praeterea diserte supponit etiam tales Episcopos, qui non habeant potestatem temporalem; monet enim „Impe„ratorem, regesque . . . et Dominos t e m p o r a l e s s a e c u l a r e s . . . ut „Ordinariis praedictis . . . auxilium praestent" (§ 4 cit.).

Sed quomodo sociandus hic modus agendi cum iis, quae habet Concilium Tridentinum: „Ecclesia in neminem judicium exercet, qui non prius in ipsam per baptismi januam ingressus fuerit" (Trid. Sess. 14. cap. 2)?

Possitne forte dici: Concilium loqui de jurisdictione in foro poenitentiali, quam Ecclesia non habeat in non baptizatos? Nam caput illud, in quo verba laudata occurrunt, agit „de differentia sacramenti poenitentiae et baptismi". Et certissime jurisdictionem in foro poenitentiali Ecclesia non habet in non baptizatos, quum ipsi capaces non sint absolutionis sacramentalis. Similiter in aliis multis non baptizati non sunt materia apta jurisdictionis ecclesiasticae, quum desit conditio praerequisita, scil. baptismus. Sunt autem materia apta eatenus, ut cogantur ad audiendum evangelium; hinc cogi poterant a. s. P. Gregorio XIII. Valet hic verbum Christi: „Quodcumque ligaveris super terram etc.", quum quidem pro foro poenitentiali allisque multis, non vero pro hoc casu probetur exceptio. (cf. tamen: Lugo, de fide, disp. 19., sect. 2., § 1, n. 54 seqq., n. 65; Suarez disp. 18., sect. 2., n. 3 et 6; Liguori de fide, n. 18 in fine).

quidem possunt Status illam potestatem; contra ipsi Status illi subjiciuntur, quantum finis Ecclesiae ad res etiam civiles extenditur.

2. Merito igitur rejecta est in Syllabo Pii IX. haec propositio: „Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, „nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino „suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire, quae „sint Ecclesiae jura ac limites, inter quos eadem jura exercere „valeat." [1])

Revera, sub diverso respectu Ecclesia dici potest societas perfecta, et perfectior quidem, quam alia quaelibet societas, atque adeo perfectior, quam vel ipse Status. Nam si spectes causam efficientem, i. e. originem, fundata est immediate et expresse ab ipso Deo incarnato; si durationem, florebit usque ad finem saeculi; si causam materialem, destinatione omnes omnino homines universamque terram complectitur, et effectu jam nunc pluribus forte utitur subditis et latius porrigitur, quam ullum regnum temporale; insuper non tantum numero, sed et virtute, ut ita dicam, materiae, i. e. membrorum, quibus constat, Ecclesia superat Status, quum membra sua essentialiter amplectatur charactere supernaturali baptismatis insignita.

Porro si spectes causam formalem, duplex distinguenda est forma: interna, seu finis, et externa, seu constitutio. — Finis Ecclesiae est: ducere hominem ad finem ultimum, quae est felicitas aeterna; contra finis Statuum immediatus terrena magis absolvitur hominum prosperitate. — Etiam constitutio dupliciter considerari potest: vel ad extra, vel ad intra. Ad extra spectata constituitur Ecclesia in omnimoda independentia; contra Status, licet independentes sint in rebus mere civilibus, eatenus tamen, quod infra videbimus, indirecte dependent ab Ecclesia, quatenus temporalia subordinari debent rebus spiritualibus. Quodsi intelligas constitutionem Ecclesiae ad intra, monarchica est, et perfectissime magna ex parte ab ipso Christo Domino ordinata; Statuum contra constitutiones multis imperfectionibus et continuis mutationibus obnoxiae esse solent.

Postremo si media, i. e. jura attendas, quibus Ecclesia uti possit ad finem suum assequendum, haec item sunt perfectissima, prout convenit fini Ecclesiae ejusque independentiae.

---

1) Syllabus, Prop. 19. — Cf. Encycl. „Immortale Dei" n. 18 et 49.

Ultimam hanc perfectionis rationem videtur in mente habuisse Aristoteles[1]), ubi in naturam societatis perfectae inquirit, dum S. Thomas[2]) potius perfectionis rationem in eo ponit, ut Ecclesia non sit pars alterius societatis, sed prorsus independens. Utrumque perfectionis genus videtur Pius IX. in Syllabo[3]) respicere; S. P. N. Leo XIII. vero in Encyclica „Immortale Dei"[4]) praeter has duas etiam illam Ecclesiae perfectionem extollit, ut finis ipsius sit „longe nobilissimus". Caeterum hae perfectiones omnes plus minus sibi cohaerent, idque efficiunt, ut Ecclesia catholica perfectissimus sit omnium temporum organismus socialis; ut sit ultimum illud Danielis regnum, regnumque Davidis, cujus princeps „regnabit a mari usque ad mare"; ut denique sit regnum coelorum, regnum Christi, regnum Dei.

3. Quae objiciuntur huic doctrinae, qua ambitum ecclesiasticae potestatis assignavimus, ad haec fere reducuntur:

a. „Status omnium jurium ultimus fons est, ideoque jure utitur infinito." Haec objectio jam supra refutata est et rejecta per propositionem 39. Syllabi.

b. „Ecclesia est regnum spirituale; hinc ad invisibilia restringitur, neque spectat ad ordinem juris externum."

Haec objectio Protestantium est. Confundit duos sensus verbi „spirituale", quo tum civili tum corporali seu invisibili opponitur. Refutata est supra e Sacra Scriptura, ubi ostendimus, Christum fundasse regnum, non quidem civile, sed visibile.

c. „Regnum visibile indiget territorio certo. Quo quum careat Ecclesia, non potest esse regnum visibile."

Negatur, deesse Ecclesiae certum territorium. Nam ejus territorium destinatione quidem tam late patet, quam orbis terrarum; actuale autem territorium videri potest ex quolibet dioecesium schematismo, qualis Romae quotannis typis editur.

d. „Jus omne debet vi posse cogi. Jamvero Ecclesiae deest haec vis coactiva. Ergo restringitur Ecclesia ad ordinem moralem, et excluditur ab ordine juridico."

---

1) Aristoteles, Polit. I. 2; cf. Tarquini, Juris eccl. publ. instit., pag. 4 seqq.

2) S. Thomas, Summa theol., 1. 2ae, q. 90, art. 3, ad 3.

3) Pii. IX. Syllabus, Pr. 19.

4) Encycl. „Immortale Dei" n. 18.

Distinguamus: Concedimus, omne jus habere necessario in se titulum, ex quo vim adhibere liceat ad illud tuendum; qui titulus deest v. g. relationi gratitudinis, quamobrem gratitudo non constituit jus proprie dictum. Illud autem quam maxime negamus, ad naturam juris requiri, ut adsit sufficiens vis physica ad illud tuendum. Nam, id si esset, quilibet infirmior omni prorsus jure careret ad adversarium fortiorem. Aliis verbis: ad conceptum juris constituendum sufficit coactibilitas interna, non requiritur externa. Interna autem est in Ecclesia, quum ipsi ad jura sua tuenda vim abhibere liceat. Sed et ipsa externâ coactibilitate omnino destituta non est, quamvis illâ uti non soleat. Posset enim invocare brachium saeculare unius reipublicae ad depellendas injurias ab alia sibi illatas.

Quodsi dicas, hoc modo Ecclesiam dependentem fieri ab illo Statu, cujus auxilium implorat, ideoque jam non esse societatem perfectam: respondemus, Statum pariter esse dependentem a militibus suis, sed ideo non desinere esse societatem perfectam. Dependentia enim illa physica est, non juridica; juridice tum milites debent praebere auxilium armorum ei Statui, cujus milites sunt; tum Status, legitime requisiti ab Ecclesia, debent ipsi praestare auxilium brachii saecularis.

e. Ultimo objicitur: „Jura, quae vos vindicatis Ecclesiae catholicae, efficerent, ut Ecclesia esset Status quidam in ipso Statu. Ergo sunt neganda."

Notissima haec objectio prolata est v. g. a Principe Bismarck die 16. Aprilis 1875 in parlamento Germaniae. Sed errorum plena est.

Falsum enim est primo, Ecclesiam esse „Statum". Est quidem organismus juris publici, sed juris publici ecclesiastici, non civilis; ergo non est Status.

Falsum est secundo, Ecclesiam esse „in Statu"; multo magis Status, v. g. regnum Bavariae, est in Ecclesia. Ecclesia enim extensione omnes Status superat, neque ullius Status finibus circumscribitur.

Falsum est tertio, quod adversarii supponunt, Statum in Statu esse non posse. Ecquid Bavaria non est in imperio Germanico? An negandum est nomen Status, sive regno Bavariae, sive imperio Germanico?

Falsum est quarto. Ecclesiae jura, si stare non possent cum illis juribus, quae Statui vindicantur, esse rejicienda. Cedere potius debent jura ista fictitia Statuum; Ecclesiae enim jura in expressa Dei declaratione fundantur. Jura vero Statuum non eruuntur, nisi ex tacita Dei voluntate, quae ex natura rerum colligitur, quaeque erronee colligeretur, si dicerentur pugnare cum juribus expresse Ecclesiae a Deo concessis.

Quum alias alicujus momenti objectiones non inveniamus, insistimus conclusioni illi quam antea jam statuimus. Potestas, Ecclesiae a Deo commissa, tam late patet, quam praeter eam nulla. Non restringitur, nisi in quantum ex fine Ecclesiae vel aliunde probatur restrictio. Extenditur autem tum in singulos homines, tum in familias, tum in ipsos Status, si finis Ecclesiae rationabiliter hanc extensionem poscit.

II.

De Statibus.

1. Origo Statuum.

Status, i. e. respublica civilis, sicut et alia quaevis persona, sive physica, sive moralis, jura sua ultimatim tantum a Deo derivare potest; neque exigere potest juris ullius agnitionem, nisi ostendat, hoc jus a Deo derivari.[1])

Porro omnes fere consentiunt, hanc probationem quoad jura rei publicae civilis, generatim loquendo, fieri debere independenter ab omni revelatione. Quae enim in Sacra Scriptura de auctoritate civili et obedientia ipsi debita inveniuntur, non nova jura inducunt, sed ea, quae jam erant, confirmant.

Quare quum a Dei voluntate petenda sit omnis juris origo; quumque Statuum jura generatim peti non possint a revelatione Dei expressa; non restat, nisi ut petantur e tacita voluntatis divinae declaratione, seu ex jure quod dicunt naturae. Nam sicut contractus fieri possunt non tantum verbis expressis, sed et tacite, seu per facta ut ajunt concludentia, quae sine locutione manifestent

1) Cf. Encycl. „Immortale Dei“ n. 7. 40.

agentis voluntatem: sic et leges ferri possunt non solum verbis vel scriptis expressis, sed et tacite, id est per facta concludentia.

Jam vero tacita ejusmodi Dei declaratione quomodo Status originem et jura acceperint, hanc rem a primis initiis per singula incrementa prosequendo breviter ostendamus.

a. Prima familia.

1. Fuisse initium generis humani supponere possumus familiam unam, et primo quidem solos conjuges, sicut de facto genus humanum initium sumpsit ab Adamo et Eva. Hi duo conjuges variis inter se juribus fruuntur. Accedunt liberi et oriuntur nova jura inter parentes et liberos: en adest prima familia.

Sed quomodo jurium, quae jam adsunt, origo explicanda est? Quis est legislator, qui ea contulit? Nam sine auctoritate legifera nullum oriri potest jus.

Ille legislator non erat humanus. Nam priusquam prima familia erat, cogitari non potest legislator humanus, quia nulla adest, neque familia, neque communitas, neque respublica. Nihil igitur restat, nisi ut dicatur, legislatorem divinum ipsum haec jura contulisse.

Et quomodo? Non verbis et locutione; saltem non ita, ut necessario ad ejusmodi revelationem debeamus recurrere. Explicanda igitur sunt ex legislatione quadam, quam tacite, i. e. per facta concludentia, ut supra exposuimus, Deus constituerit.

Quam ita fere possumus ostendere: Deus rationabiliter agit. Hinc si hominem creat talem, qualis est, vult etiam, ut existant ea jura eaeque obligationes, sine quibus homo convenienter esse non potest. Sed v. g. liberi convenienter esse non possunt, nisi nutriantur, nisi educentur. Ergo parentibus imposuit obligationem nutriendi et educandi, simulque concessit jura (v. g. praecipiendi, puniendi), sine quibus educatio fieri non potest; parentes enim ad hoc munus obeundum ab ipsa rerum natura designantur. Quis enim obiret hoc munus, nisi parentes? Hoc vel simili modo probamus originem juridicam primi organismi socialis, i. e. familiae; eodemque modo postea progrediemur etiam ad potestatis civilis originem explicandam.

2. Sed estne legitima et sufficiens explicatio haec? — Est profecto. Nam:

Primo: Si haec non est legitima, nulla erit, ita ut jura omnia omnesque obligationes inter homines neganda sint, nisi quae forte

ex revelatione expressa derivari possunt. Quod absonum est, praesertim si spectes respublicas ethnicas, quae ante Christi tempora fuerunt.

Secundo: Adsunt in nostra explicatione omnia, quibus opus est ad illa jura explananda. Habemus legislatorem, Deum, habemus materiam aptam, habemus voluntatem legislatoris, ut sit bonus ordo in familia; habemus denique manifestationem hujus voluntatis in hominis natura, prout creata est ab ipso legislatore.

Si objicias, hanc legislationem nullibi esse scriptam, facile respondemus: negamus enim, scripturam necessario requiri, ut legislatio aliqua vim habeat. Num enim homines destituti erant legibus omnibus, priusquam scribere poterant? Et vi cujus legislationis accepit potestatem suam legiferam legislator ille, qui primus leges suas scripsit?

Sed exemplum afferamus, quam clare et certe nonnunquam divini legislatoris voluntas ex rerum natura erui possit. Ponamus in medio quaestionem, utrum filii et filiae primorum parentum, ideoque fratres cum sororibus suis, inire potuerint matrimonium. Mores nostri ab ejusmodi matrimoniis abhorrent, et merito quidem; ideo nullatenus inclinamur, ut matrimonia ejusmodi habeamus legitima et licita. Nihilominus per ipsam rei evidentiam cogimur dicere, haec matrimonia fuisse et valida et licita primis hominibus. Neque enim Deus creavit genus humanum, ut statim postea extingueretur; nam qui vult finem, vult media; atqui medium necessarium ad conservandum genus humanum in illis conditionibus erant illa matrimonia: ergo Deus ea voluit: ergo sunt legitima.

Simili modo inferimus hic e necessitate potestatis juridicae parentum, imprimis patris, hanc potestatem a Deo esse collatam, et quidem jam ante illud tempus, quo oriebantur Status.

3. Itaque videmus, patrem esse caput primae familiae, primi organismi juridici: ipsum esse superiorem „Dei gratia", non electione vel arbitrio reliquorum familiae membrorum, multo minus delegatione ab auctoritate civili facta, quum haec auctoritas nondum adfuerit.

Quousque extenditur potestas patris? Quousque ut extendatur adest necessitas. Licet igitur ipsi castigare filium, si hic poenam meretur; non licet sine ratione ipsum vexare. Exigere potest, ut filius in bonum commune familiae laboret; non potest exigere, ut in utilitatem singularem alterius filii se exerceat. Jus ei est figendi certum ordinem domesticum, omnibus familiae

membris observandum, curandi etiam familiae commoda et officia erga extraneos; jus non est praefigendi singulis liberis statum vitae ipsis eligendum; neque potest impedire, quominus, si adoleverint, ipsi sibi familiam constituant; paucis: ea potest, quae ut possit pro rerum adjunctis rationabiliter, ex morali aestimatione quadam, exiguntur; non plus nec minus.

4. Haec quae nominavimus jura etiam nunc competunt patrifamilias. Quaeritur autem, utrum plus potestatis illi patrifamilias insit, qui nulli subsit publicae auctoritati? Utrum v. g. plus potestatis habeat caput primae, quae ante omnes respublicas fuerit familiae, quam patres, qui nunc sunt? Maximi haec quaestio est momenti in hac nostra inquisitione de auctoritatis civilis origine.

Videamus rem omnino in concreto. Pater ejusmodi ab omni potestate civili independens habet filios, inter quos sunt v. g. Sem et Japhet. Sem magno labore vestem sibi confecit ex lana, quam suam putavit; Japhet asserit, suam fuisse lanam, ideoque suam esse et vestem. Quid jam faciendum? Neuter vult cedere jure suo. Pater conatur amice rem componere; sed nequidquam; filii enim negant, ipsum esse judicem; nihil eum esse ajunt, nisi familiae caput, nullaque ipsum frui potestate judiciali, ideoque publica.

Num hoc recte asserunt? Affirmandum videretur, si talis causa nostris temporibus occurreret. Adire enim nunc possent judicem publicum filii, patre rejecto; licet et hodiedum pietas quaedam suadeat, ut patri hac in re se submittant.

Quid? Idem num dicendum, si nullus praeter patrem adest judex? Si agitur de prima et unica illa familia? — Hic res aliter se habere videtur. Aliquis enim necessario adesse debet judex; alius praeter patrem assignari nequit: ergo pater liberis agnoscendus est non tantum ut pater familias, sed etiam ut judex, vera judicandi potestate praeditus, ita ut cogere possit reluctantem ad standum judicio suo.

Aliquis judex esse debet. Nam si dicas, tali in conditione non adesse oportere judicem, qui invitos cogat: nunquam utique hanc necessitatem affirmare poteris, sicque destitutus eris (si revelationem excipias) unica via ad probandum, inesse item in auctoritate publica etiam potestatem judicialem; ex hac enim necessitate probatur cum potestas judicialis, tum omnis potestas civilis.

Neve objicias, Jem et Saphet posse sponte sibi eligere arbitrum ad litem decidendam. Quid ergo, si Sem, qui possidet vestem, non vult eligere ejusmodi arbitrum, neque agnoscere illius judicium? Nihil restat, nisi ut aut bellum omnium contra omnes proclames, et Japheto concedas, vi armata urgere jus, quod habere putat; aut ut aliquem assignes judicem, quem et inviti agnoscere debeant, cujusque sententiae omnes acquiescere cogantur.

Sed alius judex, quam pater, assignari hic non valet. Quis enim erit? Si patri non tenentur obedire filii in ejusmodi judicio, cuinam obedire tenebuntur? Num matri? Num alicui ex fratribus?

5. Jam vero porro videamus!

Ex his, quae diximus, invicte efficitur, potestatem patris independentis majorem esse, quam illius patris, qui subest gubernio alicui civili. Utrique competit potestas domestica. Illi vero, qui non subest alicui gubernio, competit insuper potestas publica, in quantum in rebus tam simplicibus opus est ejusmodi potestate. Illi contra, qui subest gubernio, potestas haec publica non competit. Magis enim, societate humana constituta, separatio facta est potestatum, quae apud primum patrem conjunctae erant: alius jam est, qui habeat potestatem publicam, alius, qui habeat domesticam. Excipiendus tamen hic est ipse monarcha novae reipublicae; apud ipsum enim ita conjunctae sunt potestates illae, ut in familiam suam idem habeat potestatem tum publicam, tum domesticam.

Numquid iis, quae diximus, essentiale discrimen negamus inter utramque potestatem?

Nequaquam! Hoc tantum asserimus, patrem independentem utramque simul habere, unione quadam, ut ajunt, personali. Distinguuntur vero hae potestates jam in prima familia eodem modo, quo nunc apud monarcham, qui utraque simul utitur. Quod discrimen inter alia id efficit, ut potestas domestica simul cum unaquaque familia oriatur et pereat, ut potestas publica contra, sicut et ipsa societas publica, destinetur ad tempus indefinitum. Hinc fit, ut, quae pater ordinavit vi potestatis domesticae (v. g. ordo diurnus), vim perdant familiâ dissolutâ; quae sanxit auctoritate publica (v. g. leges civiles et criminales), tamdiu maneant, quamdiu communitas publica, quae per hanc primam familiam erat inchoata.

Sed hoc jam ad novum nos perducit crescentis rei tempus.

b. Novarum familiarum dismembratio.

1. Sem atque Japhet uxores ducunt novasque condunt familias. Consentaneum est, juxta plagam, a patre occupatam, filios aliam sibi occupare, ita tamen, ut in nexu quodam sociali cum antiqua familia maneant. Pater enim tantam occupaverat plagam, quanta opus erat ad antiquam familiam bene alendam; sed novae familiae novâ jam indigent plagâ, eamque eligunt, quam proxime inveniunt. Nam omnis terra etiamtum occupationi patet.

Adest jam momentum illud, quod gravissimum videtur ad dijudicandas philosophorum de potestatis civilis origine sententias contrarias. Consideremus rem iterum in conditione omnino particulari! Sem et Japhet litigantur, v. g. de finibus camporum ab ipsis occupatorum. Debentne etiam nunc agnoscere judicialem patris potestatem, annon?

Secundum multorum sententiam omnis extinguitur juridica patris potestas simulac filii domum ipsius reliquerunt; restat ipsi summum moralis quaedam auctoritas, quae forte id efficiet, ut pater potius eligatur caput novae jam exsurgentis reipublicae, quam aliquis ex filiis; ita tamen, ut sine ullius juris laesione eligi possit etiam alius quilibet.

Altera sententia juridicam quandam praeferentiam adjudicat patri, non quidem in quantum est pater, sed quia filii in ipsius territorio sedem fixerunt.

Tertia nobis omnino tenenda videtur sententia, secundum quam juridica quaedam patris auctoritas etiamtum perseverat et agnoscenda est filiis, et quidem nullo respectu habito territorii. Hae autem sunt rationes:

Primo: Eatenus jus quodlibet extinguitur, quatenus adest causa interitus. Atqui hac in re adest quidem, cur domestica patris potestas pereat; minime adest, cur potestas ipsius judicialis, hinc publica: ergo haec non extinguitur. Supponimus enim, filios permansisse in vicinia, ita ut socialis quidam nexus intercedere possit inter ipsos et antiquam familiam. Nam si regiones longinquas petiissent, id effecissent, ut interiret omnis, etiam publica, patris potestas, sicut et nunc subditi auctoritati Statuum se subducunt emigrantes.

Diximus, in nostro casu adesse, cur domestica quidem pereat, sed neque judicialis intereat neque generatim publica patris auctoritas; nam illa jam privatur fine, haec non item. Finis potes-

tatis domesticae est v. g. assignare tempus prandii et coenae; sed hoc supponit, omnes habitare in eadem societate domestica; et inepte ageret is pater, qui novis fundatis familiis pergeret tempus prandii assignare.

Contra non agit inepte ille pater, qui pergit potestatem judicialem exercere in novas familias, quarum capita hucusque fuerunt sub judiciali ejus potestate. Nullatenus igitur vel haec, vel generatim publica potestas patris, v. g. in defendendos hostis communis impetus, per dismembrationem novarum familiarum periit.

Quid contra hoc argumentum dici possit, non videmus.

Secundo: idem efficitur immediate, etiamsi non recurramus ad pristinum statum juris, qui erat ante separationem. Sine dubio enim aliquis et nunc debet esse judex, ne inter Sem et Japhet bellum oriatur. Ne dicas, ipsos posse arbitrum eligere; nam qui possidet rem litigiosam, non vocabit neque admittet sponte arbitrum, qui ipsi possit rem eripere. Opus est igitur vero judice, qui et invitum cogere possit.

Jam alius nemo a natura determinatus vel indicatus est in munus judicis, nisi pater; hic enim si non diceretur determinatus, quis esset? Ergo pater agnosci debet cum judex, tum generatim auctoritate publica praeditus.

Objicies forte: si plures homines casu quodam sociantur in fundanda aliqua colonia, nemo ex ipsis a natura designatus est superior; sed communi consensu eligere possunt aliquem qui praesit. Sic et in hac re non opus erit, a natura ipsa determinatum esse superiorem, sed communi consensu hunc posse eligi.

Respondemus: est reapse defectus aliquis, quod in hac colonia ante liberam electionem nemo sit determinatus superior; ita enim poterunt facillime rixae exsurgere. Sed defectus ille non cadit in auctorem naturae, quum fortuita ista colonorum consociatio perturbationem aliquam supponat quietae evolutionis generis humani, quae primo loco non erat intenta a Deo. Jam vero si in casu, quem supra posuimus (scil. in quo genus humanum quieto et naturali modo se extendit), nullum a natura determinatum esset caput, hic defectus profecto in ipsum caderet naturae auctorem.

2. Nullatenus igitur ad Statuum originem explicandam opus est, recurrere ad contractum quendam politicum, quem pater et filii, et forte etiam nepotes ineant, et per quem politicam potestatem a multitudine universa in unum hominem, qui ab ipsis

eligatur, transferant. Pugnat potius cum naturali filiorum a patre dependentia, ut vel in rebus politicis habeantur aequales, et ut pater cogatur, submittere se in rebus politicis uni ex filiis, qui forte per majora suffragia, contra ipsius patris suffragium, eligatur superior novae jam exsurgentis reipublicae.

3. Neque necessarium nobis videtur (quod vult P. Taparelli), recurrere ad hoc, quod filii in patris territorio sedem figant, sicque in ordine etiam politico ab ipso dependentes fiant.

Primo enim (quod supra memoravimus) filii potius juxta terram, a patre occupatam, quam in ipsa, domum aedificabunt, camposque occupabunt; nam terra longe lateque occupationi patet.

Secundo: si nihilominus in terra, a patre jam occupata, sedem figerent, per hoc nonnisi locatio conductio, vel alia juris privati relatio introduceretur, non dependentia quaedam juris publici. Quodsi pater terram, quam filii desiderant, ea tantum conditione daret, ut filii in politicam dependentiam ab ipso consentirent: formaliter jam hic consensus efficeret dependentiam politicam, non vero locatio conductio; et sic recideremus in sententiam modo refutatam de contractu politico, tanquam necessario, vel saltem primario, Statuum fundamento.

Accedit tertio, quod locatio conductio camporum nullatenus explicare potest dependentiam politicam filiorum a patre, si non agitur de gente, agriculturam exercente, sed de tribu, ut ajunt, nomadica. In ejusmodi tribu certissime pater, seu patriarcha, habet auctoritatem quandam politicam. Sed unde habet? Certe non ex eo, quod filii ipsum elegerunt; non, quia filiis territorium aliquod concessit, sed ideo solum, quia pater est.

4. Ex his omnibus colligitur, originem maxime primitivam et naturalem potestatis politicae esse descendentiam filiorum atque nepotum a stirpe communi.

Fieri potest, ut patre superstite numerus posterorum adeo augeatur, ut numerum subditorum parvae alicujus reipublicae aequet. Pater, seu patriarcha, erit monarcha hujus nascentis reipublicae; et quidem non per concessionem vel electionem a filiis factam, sed verissime „Dei gratia“, i. e. jure ab ipso Deo immediate concesso et a rerum natura indicato, eodem fere modo, quo quis „Dei gratia“ est dominus rei ab ipso confectae vel primum occupatae.

c. Ulterior evolutio post patriarchae mortem.

1. Si patriarcha est caput politicum novae reipublicae, ipsius etiam erit cum omnes leges ferre, tum leges hereditarias easque non tantum juris privati, sed etiam juris publici, i. e. ipsius erit, constituere, quis sibi in potestate politica succedat. Gravissimum hoc ipsi incumbit munus. Quodsi omittat successionem in jure politico sive per testamentum sive per legem aliquam generalem ordinare, ipse in culpa erit, si post mortem ipsius respublica recens orta in partes iterum dissolvatur, vel si, quod pronum est, rixae et bella inter eos oriantur, qui jam successionem sibi vindicare volunt.

Ipse patriarcha igitur, dum vivit, legem dabit fundamentalem reipublicae: constituendo illam v. g. monarchiam haereditariam cum jure primogeniturae, vel aristocratiam, vel democratiam[1]; verbo: lex, quam ipse dederit, erit lex, et permanebit esse lex, quamdiu non immutabitur per legislatorem ipsi succedentem.

Pacifica atque tranquilla ejusmodi evolutio videtur nobis primo loco a Deo creatore intenta fuisse. Quae si non esset violenter interrupta, totum genus humanum in uno organismo sociali atque politico conjunctum mansisset. Una potestas suprema, licet sine nimia illa, quam hodiedum saepe cernimus centralisatione, communia totius reipublicae negotia curasset; inferius vero hujus organismi membrum suarum quodque suscepisset rerum curam.

Hoc modo res potuisse ordinari vel inde patet, quod in rebus religiosis universalis ejusmodi constitutio reapse a Deo facta est Ecclesiae catholicae fundatione.

Attamen periit ingens illud aedificium sociale. Singuli tantum Status tanquam fragmenta remanserunt, et usque in hodiernum diem perditam universi generis humani unitatem socialem dolemus. Quae si adesset, bella evitarentur per supremi alicujus judicii sententiam; exercitus, ad bellum continuo parati, dimitti, vectigalia ad minimum numerum reduci possent, juri denique internationali melius provisum esset, quam nunc per pacta, quae hodie ineuntur, et post aliquot menses pro libitu dissolvuntur.

Haec, quae in editione nostra Germanica jam habuimus, iram

1) Cf. Encycl. „Immortale Dei“ n. 8 et 51.

denuo moverunt clarissimi Köhler, Superintendentis Darmstadiensis. Objicit enim nobis:

„Notio, quae in auctore prorsus desideratur, est notio na„tionis . . . Generis humani in nationes (et Status) dismembratio „ipsi est sequela peccati.“ [1])

Respondemus: Notio, quae in verbis Koehler prorsus desideratur, est ea, quod nationum (v. g. Anglorum, Hibernorum, Canadensium etc.) varietas optime simul esse possit cum sociali quadam unitate altiori (v. g. gubernii Britannici).

Videbamur nobis satis clare dixisse, summam generis humani perfectionem socialem nos non in rigida quadam centralisatione ponere, sed in unitate simul cum varietate, in unitate, quae simul admittat nationum distinctionem. Quod vero sola haec distinctio jam superest, unitate omni destructa, et quod bella continua quasi panis quotidianus populorum facta sunt: hoc utique sequela nobis videtur peccati; et quod Ecclesia catholica impeditur, aliquo modo perditam hanc unitatem restituere: hoc magna ex parte adscribimus Protestantismo.

2. Quidquid est: disruptum est genus humanum in Status populosque omni auctoritate communi humana carentes, sive quod violento modo haec scissio facta est, sive quod filii emigrando se a stirpe communi separarunt, sive, quod mortuo patriarcha singuli filii independentes facti sunt. Quod si contendas, defuncto patriarcha absque ulla successionis ordinatione filios non fieri independentes, sed natu maximum ex iis ipsa natura duce et jure primogeniturae evadere caput politicum reliquorum; quod si hoc, dico, contendas, non repugnemus; sed restant nihilominus alii casus, in quibus secundarius quidam modus originis Statuum praeter primarium, quem vidimus, admittendus videtur. Qui modus habebitur per contractum.

Sint v. g. multi, qui forte convenerint in terram hucusque a nullo occupatam, quique ibi sedem fixerint. Num possunt diu esse sine ordine politico? sine judice? sine aliis emolumentis, quae in sola republica bene ordinata habentur? Certe non. Certissime Deus voluit, hos ipsos modo bene ordinato posse vivere. Sed quomodo eo pervenient? Unica via apparet, quod libere conveniunt de auctoritate aliqua instituenda. Hic enim valet,

1) Theolog. Literaturzeitung, Lipsiae, 23. Febr. 1884. p. 97. 98.

juridice omnes patres familias esse sibi aequales. Sive ditior unus est, sive potentior, sive sapientior: juridice omnes fruuntur perfecta aequalitate et independentia, ita ut nemo teneatur alteri se subjicere. Restat igitur id solum, ut libere contrahant de auctoritate civili instituenda ac de persona designanda, quae eam exerceat. Deus enim vult adesse ordinem civilem, cujus instituendi alia via jam nulla invenitur.

Id quidem nolumus hic inquirere, utrum absolute omnes coloni independentes debeant consentire. Nam illud forte dici possit, si fere omnes consentiant, etiam illos paucos, qui supersint, propter bonum commune debere se illis adjungere. Hoc vero casu omisso dicendum videtur: liberum consensum hic requiri et sufficere ad fundandum Statum, ideoque esse modum secundarium, quo potestas civilis originem ducat.

3. Sed si accuratius rem inspicias, modus hic secundarius in duo dissolvitur elementa. Fac v. g. in insulam quandam hucusque vacuam decem familias convenisse, atque ex decem capitibus familiarum unum elegisse caput politicum universae coloniae. Quum ex iis, quae supra diximus, unusquisque pater jam fuerit caput politicum, non tantum domesticum familiae suae, sequitur ut haec fundatio novae reipublicae, quae nunc fit, dicenda sit conventio inter decem Status hucusque independentes, vi cujus ex decem Statibus, qui erant, unus efficitur major. Est prorsus idem processus juridicus, quo v. g. varii Status Germaniae conventione novum imperium Germanicum fundarunt. Unde sequitur primo: capita solummodo familiarum, non uxores vel liberos vel famulos debere partem habere in fundanda nova republica; quod utique negare deberet, qui negaret, patrem esse caput politicum familiae, sed admitteret tantum, ipsum esse caput domesticum familiae. Unde sequitur secundo, hunc modum secundarium refundi in modum primarium originis potestatis civilis, ideoque esse legitimum. Si enim pater est caput familiae politicum, potestatem habet ineundi ejusmodi conventiones politicas, quae in utilitatem communem cedunt.

Eatenus solum hic modus distingui potest a modo primario, quatenus agitur de persona ipsius patris. Ille enim hucusque nemini subditus, sed prorsus ab omni auctoritate humana independens erat; nunc vero (nisi forte ipse eligitur caput universae reipublicae) fit subditus, ideoque quoad ipsum nova omnino oritur,

non transfertur tantum. potestas civilis. Sic v. g. Princeps de Hohenzollern factus est subditus Borussiae, quum per contractum se suamque ditionem regno Borussiae traderet.

Sunt igitur (si occupationem in bello justo negligimus) duae viae, quibus oritur potestas civilis: per descendentiam et per liberum contractum.

„Prior via, quam ordinarie sequitur monarchica regiminis „forma, si juris principia spectes, ordinaria est, magisque „respondet naturali atque organicae evolutioni societatis civilis „ex familia, in cujus potestate domestica simul jam reconditum „est germen publicae potestatis. Altera via per se secundaria „est et extraordinaria, et non nisi supplendo in prioris cedit „locum ibi, ubi organizantis naturae opus per historiae decursum „interturbabatur vel aliis ex causis ad perfectionem non pervenit. „Tunc enim membrorum societatis est, ex sua parte libera con- „ventione, in quantum fieri potest, naturae et divini ordinis „postulata perficere. Sed etiam hoc in casu interventio voluntatis „populi si stricte loquaris non est translatio quaedam potestatis, „quae revera nusquam adhuc existit, sed potius actio organizans, „quae sola designatione subjecti potestatis ab- „solvitur.“ [1])

d. Estne potestas civilis immediate a Deo?

1. Ultima verba, quae modo citavimus, jam ad celebrem nos perducunt quaestionem: utrum potestas civilis, maximeque potestas regia, sit immediate a Deo concessa, an potius haec potestas prius resideat in populo, ab eoque in regem conferatur. Non ergo quaeritur, utrum potestas regia aliquo modo sit a Deo derivanda; hoc enim apud omnes Catholicos jam diu constat, jura quaelibet, hinc et jura regia, sive proxime, sive ultimatim saltem, a Deo, omnium creatore, derivanda esse; et rejiciendum esse illum „Contrat social“, quem vult Rousseau, illasque theorias, in Germania imprimis vigentes, quae Statum volunt esse omnis juris fontem. Id igitur solum inquiritur: utrum rex immediate a Deo teneat potestatem suam, an mediate tantum, ita ut immediate potestas conferatur a populo.

1) Th. Meyer S. J., Grundsätze etc., (Friburgi, Herder 1868) pag. 227. — Cf. Walter, Naturrecht § 247.

Nos sine ulla haesitatione priorem tenemus sententiam, secundum quam rex nullatenus est „populi gratia“, sed sensu vere juridico „Dei gratia“ creatus. Quod valet mutatis mutandis etiam de regimine non monarchico, ita ut moralis reipublicae persona immediate a Deo accipiat potestatem suam, eamque exercendam tradat praesidi aliisve personis physicis, quae nomine personae moralis reipublicae agunt.

Rationes nostrae sunt hae:

Si patriarcha, qua talis, supremam potestatem tenet, evidens est, ipsa generatione, non liberorum electione eum determinatum esse ut sit et caput domesticum et politicum. Solus igitur Deus concessit ipsam potestatem, determinando subjectum per factum generationis.

Si, juxta leges a patriarcha relictas, successor ejus gubernacula tenet, item populus neque designavit hunc successorem, neque ipsi potestatem contulit. Designatio enim, seu determinatio personae, fiebat per antecessorem, qui legibus successionem ordinavit; potestatis vero translatio simili fere modo immediate procedit a Deo, sicuti fieret, si quis Papa successorem sibi nominaret.

Si per liberam conventionem singulorum (i. e. capitum familiarum aliorumve antea independentium) societas aliqua civilis constituitur et v. g. monarcha eligitur: ne tunc quidem sive designatio sive collatio juris fit a populo ut populo, i. e. a complexu omnium subditorum; sed fit ab iis, qui hucusque erant capita politica, quique potestatem suam nunc transferunt in novum subjectum; similiter, sicut in priori casu monarcha antecessor designat monarcham successorem. Excipiendae tantum sunt personae eorum, qui hucusque erant capita, ideoque nulli potestati obnoxii; his enim potestas civilis omnino nova oritur, non tranfertur tantum; similiter ut et Princeps de Hohenzollern, antea independens, subditus factus est gubernii Borussici.

De solo hoc casu quaestio esse potest, utrum v. g. potestas regis Borussici in Principem de Hohenzollern (territorium suum transferentem) originem ceperit immediate a Deo, ita ut ille Princeps determinaverit tantum personam aliasque posuerit conditiones, quibus positis Deus immediate contulerit potestatem; an vero et ipsa collatio juris immediate facta sit a Principe de Hohenzollern, et mediate tantum a Deo.

Nos et in hoc casu tenemus collationem juris immediate a Deo factam, et quidem ob duplicem rationem:

Primo: Potestas civilis indubie jus vitae et necis continet, i. e. potestatem poenam mortis suppositis supponendis infligendi.[1]) Jamvero nemini licet, se ipsum interficere ne ob crimen quidem. Ergo non potest alteri transferre jus vitae et necis. Ergo haec saltem potestas est immediate a Deo. Si vero de aliqua parte potestatis publicae hoc dicendum est: idem dicendum videtur de hac potestate generatim.

Secundo: Potestas civilis non videtur diversae esse naturae relate ad eos homines, qui antea fuerunt independentes et per liberam subjectionem facti sunt subditi, et relate ad alios subditos generatim. Jamvero aliqualis saltem videretur adstruenda esse diversitas, si aliquando potestas immediate concederetur a Deo, aliquando immediate ab hominibus. Ergo generatim dicendum videtur: omnem potestatem civilem supremam esse immediate a Deo, quum de aliqua (v. g. de ea, quam tenet primus Patriarcha) hoc certo tenendum sit.[2])

2. Nullatenus igitur possumus assentire verbis Moulart, Professoris Lovaniensis:

„que l'opinion de la communication médiate se concilie in„comparablement mieux avec les faits de l'histoire. Les changements „si nombreux et si variés introduits, à toutes les époques et chez „tous les peuples, dans les gouvernements et leurs constitutions, „ne s'expliquent d'une manière vraiment satisfaisante qu'en sup„posant que c'est la société elle-même, qui fait la délégation „du pouvoir.“ [3])

Non possumus, uti dictum est, huic sententiae consentire; neque magis nos movent rationes allatae, quarum prima est:

„Tout le monde est d'accord qu'au moyen du pacte d'union „ou contrat politique, la société peut limiter le pouvoir, le

1) Professio fidei praescripta Waldensibus ab Innoc. III. (Denzinger, Enchiridion n. 371).

2) Suarez de leg. III, 3 dicit: „In hac re communis sententia videtur esse, hanc potestatem dari immediate a Deo ut auctore naturae, ita ut homines quasi disponant materiam et efficiant subjectum capax hujus potestatis; Deus autem quasi tribuat formam dando hanc potestatem.“ — De tota hac quaestione cf. Cardinalem Hergenröther, Die katholische Kirche etc. pag. 460 seqq.

3) Moulart: L'Eglise et l'Etat, 2me. édition, Louvain 1879, pag. 79 seqq.

„soumettre à telles ou telles conditions ou garanties. Or, comment „expliquer cela, si la communauté elle-même n'est pas chargée „de déléguer l'autorité? Il faudrait dire, que Dieu intervient „personnellement et immédiatement dans chaque changement, dans „chaque combinaison et, en quelque sorte, dans chaque article „des constitutions politiques."

Facile respondemus. Intervenit etiam Deus in qualibet oratione pia, qua homines aliquid ab eo petunt; intervenit in quolibet bono et malo opere hominum, praemium vel poenam et decernens et distribuens, quum aliquando:

„Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur."

Et quaenam inde difficultas? Jamsi orationes et opera hominum Deus decreto suo quasi comitatur, cur non et mutationes in politicis eorum constitutionibus?

Verum ne sic quidem res necessario considerari debet, quasi Deus semper nova condat decreta. Illustrari potius valet comparatione sequenti: Superiorissa alicujus monasterii, quum sit mulier, ex communi sententia incapax est jurisdictionis. Nihilominus Episcopi interdum disponunt, ut ipsi liceat dicere sacerdotibus, fortuito transeuntibus, ut confessiones audiant monialium. Num quid tum Superiorissa dat jurisdictionem? Non. Sed Episcopus immediate eam dat pro omni casu, quo Superiorissa prudenter judicet, sacerdotem ejusmodi esse rogandum ad confessiones audiendas. Num igitur Episcopus debet decretis suis semper intervenire, si Superiorissa utitur facultate accepta? Minime. Sed sufficit decretum semel pro semper ab ipso latum. Sic et sufficit unicum Dei decretum generale, ut ille immediate ab ipso accipiat potestatem civilem, qui legitime determinatus vel designatus sit, sive per electionem, sive per leges haereditarias, sive alio modo.

Sed addit Moulart: „Limiter le pouvoir, lui poser des „conditions, n'est ce pas faire acte d'autorité, de souveraineté?"

Respondemus: Etiam illa Superiorissa, si Episcopus ita disponeret, posset limitare potestatem, apponere conditiones, et tamen non ipsa daret facultatem confessiones audiendi.

Pergit Moulart: „Quel fondement donner au pacte consti„tutionel, si auparavant il n'existe pas de droit politique dans la „communauté?"

Respondemus: Fundamentum, quo illud pactum atque potestas, tali pacto collata nititur, est generale decretum divinum perinde ac decretum episcopale est fundamentum jurisdictionis, quam accipit confessarius.

3. Tenemus igitur omnino, potestatem civilem Statuum et praesertim regum descendere immediate a Deo, non a populo. Diu jam tenuimus hanc sententiam, sed firmius tenemus, ex quo Sanctus Pater Noster Papa Leo XIII d. 29. Junii 1881 eam sanxit, enuntiando:

„Interest autem attendere hoc loco, eos, qui reipublicae „praefuturi sint, posse in quibusdam caussis voluntate judicioque „deligi multitudinis, non adversante neque repugnante doctrina „catholica. Quo sane delectu *designatur* princeps, *non conferuntur „jura principatus: neque mandatur imperium, sed statuitur a quo sit „gerendum.* — Neque hic quaeritur de rerum publicarum modis; „nihil enim est, cur non Ecclesiae probetur aut unius aut plurium „principatus, si modo justus sit et in communem utilitatem „intentus. Quamobrem, *salva justitia*, non prohibentur populi illud „sibi genus comparare reipublicae, quod aut ipsorum ingenio, „aut majorum institutis moribusque magis apte conveniat.“[1])

Diserte omnino hic pronuntiatur, tum, quum princeps aliquis legitime eligi possit a populo, solam designationem procedere a multitudine, non vero collationem juris. Jus ipsum igitur immediate procedit a Deo. Ergo „Dei gratia“ sunt reges, non „gratia populi“, juxta effatum Scripturae presse acceptum: „Per me reges regnant . . . . per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam.“[2])

2. Finis et jura Statuum generatim sumpta.

Sicut finis Statuum non est illimitatus, ita jura eorum non sunt illimitata. Finis et jura sibi respondent; quare ambitus juris computari debet ex ambitu ejus finis, quem Deus Statui praefigit. Nam ad finem solum obtinendum illa jura concessa sunt, et ex solo fine probari possunt. Merito igitur Pius Papa IX. proscripsit thesin:

---

1) Encyclica „Diuturnum“ Leonis Papae XIII. d. 29. Junii 1881.

2) Proverb. 8, 15 et 16. — Cf. Encycl. „Immortale Dei“ n. 40 et 41.

„Reipublicae Status, utpote omnium jurium origo et fons, jure „quodam pollet nullis circumscripto limitibus.“[1])

Age vero, inquiramus in limites juris seu potestatis civilis!

1. Prima limitatio potestatis Statuum est geographica. Nam genus humanum perdidit unitatem socialem et politicam, ex quo Kain post fratris necem in longinquas abiit regiones, ibique aedificavit civitatem; vel ex quo Deus turrim Babylonicam confregit, quam genus humanum in signum unitatis, ejusque a Deo alienae, sibi extruxit; vel ex quo aliae sequiores causae schismata inter diversas nationes instroduxerunt. De facto saltem per reliquum temporum decursum solum fragmenta generis humani videmus in corpora politica coalescere. Regnum Assyricum, Medico-Persicum, Macedonicum, imperium Romanum — haec omnia erant tentamina quaedam reducendi unitatem socialem cosmopoliticam. Tandem „lapis sine manibus de monte abscissus“ a Deo destinatus erat, qui in rebus saltem religiosis perditam restitueret unitatem socialem. Et si haec religiosa unitas, praesertim tempore medii aevi, etiam in rebus non religiosis hostilem nationum diversarum animum leniverit, easque magis conjunxerit: eo tamen res nunquam pervenit, ut totum genus humanum sub una potestate civili iterum conjungeretur. Potestates civiles, quae sunt, nonnisi super certum quoddam territorium geographicum extenduntur.

2. Secunda limitatio praeterea saepe invenitur inter ipsius hujus territorii limites, quum potestas civilis inter duas vel plures auctoritates dividatur. Sic fit v. g. in Bavaria, ubi multa jura competunt gubernio Bavarico, alia imperio Germanico. Ideoque multum abest, ut in territorio Bavariae totum jus publicum subsit gubernio Bavarico. Nam jus publicum religiosum competit Ecclesiae catholicae, et ex ipso jure publico civili item magna pars competit imperio Germanico.

Imo, sicut jus gubernii Bavarici, quatenus ad superiores refertur potestates, limitatum est per Ecclesiam catholicam et imperium Germanicum, sic et ad infra potest juribus provinciarum, urbium, corporationum esse limitatum. Jura ejusmodi frequentissima erant tempore medii aevi, et quidem in magnum libertatis emolumentum. Postea magis magisque destructa sunt despotica quadam et perniciosa centralisatione, quam in Gallia imprimis rex Ludovicus XI.

1) Syllabus Prop. 39.

introduxit, et in maximam Galliae perniciem consummavit Ludovicus XIV. Inde magna ex parte factum est, ut libertas populi nimium suppressa in revolutione anni 1789 erumperet, et quasi diluvium quoddum omnia secum traheret in interitum.[1])

Itaque gubernio civili, ne limites excedat neve aliorum jura laedat, semper inspiciendum est: non tantum, quousque extendantur fines territorii sui, sed etiam, quam partem juris publici intra hoc territorium teneat, et quaenam pars alteri forte subjecto competat.

3. Sed supponamus jam, agi solummodo de eo territorio, cui dominatur gubernium aliquod civile; supponamus insuper, totam potestatem publicam civilem in hoc territorio subesse huic gubernio: nihilominus alii etiam adsunt limites juris ipsius, qui juribus singulorum, familiarum et Ecclesiae ponuntur. Quos limites ut enuntiemus, hoc statuimus principium summum juris publici civilis:

Potestas publica civilis omnia potest, quae bonum commune subditorum exigit, quibus sine illa non satis provisum esset, quaeque non Ecclesiae reservata sunt a Deo.

Diximus primo: „Omnia potest etc.“; hinc excludimus illam theoriam, quae solius justitiae curam Statui vindicat.

Hanc theoriam secutus est Adam Smith, patriarcha illius pseudo-liberalismi oeconomici, quum sequeretur illud axioma: „Laissez faire et laissez passer.“ Hic liberalismus illud v. g. effecit, ut Status non satis provideret bono operariorum, qui in magnis officinis occupantur, ad illud solum intentus, ne justitia stricte sumpta laederetur. Quam perniciosa fuerit haec negligentia gubernii civilis, inde elucet, quod socialistae et anarchistae magna ex parte hac ex causa ad tantam pervenerunt multitudinem et potentiam.

Sed haec theoria insuper omnino arbitraria est. Eaedem enim rationes, quae probant, Statum debere tueri jura subditorum, probant, ipsum debere sub alio etiam respectu bono subditorum providere. Hinc Status aut omni prorsus caret potestate (quod absurdum est), aut praeter justitiae curam etiam curam aliarum rerum habet, quae non minus, quam justitia, ad bonum commune

1) Cf. Le Play, La réforme sociale, vol. 1., pag. 122 seqq., vol. 3., pag. 321, 360 seqq. et alibi.

spectant. Nam ex officio bonum commune curandi potestatem omnem auctoritatis publicae civilis probamus.

Quaedam exempla hoc magis illustrent. Sine dubio Statui interdum cura incumbit vias publicas extruendi. Sed haec cura non explicaretur nisi violenter, ex cura justitiam tuendi. Pariter Status curam sine dubio habere debet ejus quaestionis, quae vocatur socialis, ut, inquam, operarii in magnis officinis vitam agere possint hominibus dignam. Verum sola stricti juris ratio generatim non plus exigere videtur, quam ut impleantur contractus, quos operarii cum dominis suis ineunt, non ut uxores et liberi prohibeantur laborare in officinis. Et tamen nonnunquam omnino necessarium est propter bonum operariorum eorumque liberorum et uxorum, ut hi arceantur ab istis officinis. Similiter sola juris ratio non exigit, ut frumentum Americanum et Indicum arceatur a finibus alicujus Status Europaei. Verumtamen nisi hoc fiat, agricolae Europaei interdum vix possint vivere, et evidens videtur, gubernii civilis esse, arcere illud, etiam tum, quando stricte loquendo non laederetur justitia per introductionem illius frumenti.

Haec omnia ostendunt, ex voluntate Dei, qui intendit prosperitatem generis humani, Statum non id solum debere curare, ut non laedantur jura, vel ut restituatur jus laesum, sed generatim ut omne promoveatur bonum subditorum.

4. Diximus dein: Statum posse ea omnia ordinare, quae a bono communi civium exiguntur. Non igitur licet ipsi prosequi bonum unius tantum classis civium, sive monarchae, sive ipsius Status.[1])

Non bonum unius classis. Injustum enim esset, si ditiores vel magis literati, qui forte gubernacula Status tenent, ita vectigalia exigerent, ut pauperibus majora, quam par est, imponerentur; vel si ita vectigalibus uterentur, ut plus, quam par est, impenderent v. g. in theatra seu spectacula publica urbis principalis juvanda. Illorum enim expensa iis potius ferenda essent, qui illis fruuntur.

Non licet porro Statui, promovere bonum vel ipsius monarchae. Inauditum v. g. erat, principem quendam Germaniae saeculi XVIII. subditos ad militiam conscripsisse, eosque in Americam milites vendidisse.

Denique non licet Statui ne suum ipsius quidem bonum promovere modo inordinato. Bene enim distinguendum est inter

1) Cf. Encycl. „Immortale Dei“ n. 9.

bonum Status et bonum omnium membrorum, quibus constat Status; sicut et bona, quae possidet Status, i. e. fiscus, diversa prorsus sunt ab iis bonis, quae possident vel ipse monarcha, ubi agitur de monarchia, vel singuli subditi.

Itaque ubi collisio quaedam exsurgit inter bonum Status et bonum membrorum, i. e. singulorum hominum, tenendum est axioma: Status est propter homines, non homines propter Statum. Unde sequitur v. g.: Si Status posset independentiam ea tantum conditione servare, ut probabiliter permagna pars subditorum amitteret bona fortunae vel ipsam vitam hoc bello, quod ad servandam independentiam necessarium esset, tunc certe Status teneretur omittere istud bellum et sacrificare se ipsum, i. e. suam independentiam; nisi forte independentiâ amissâ simul alia bona perirent singulorum, quae illud periculum fortunae et vitae aequarent.

Falsissima igitur est argumentatio, quae nonnunquam auditur: Interest Status, ut fiat hoc vel hoc, ut v. g. infantes edoceantur in scholis publicis ad sensus nationales, v. g. Borussicos, hauriendos: ergo Status habet jus, infantes in scholas suas cogendi. Falsissima, inquam, est haec argumentatio. Nam forte parentum non minus vel etiam magis interest, ut non edoceantur liberi in istis scholis. Tali autem in collisione bonum Statuum debet cedere bono singulorum. Hoc non ita tamen intelligendum est, quasi negemus illud principium, quod jubet bonum privatum cedere bono publico. Nam ceteris paribus certe bono publico cedere debet bonum unius vel nonnullorum singulorum. Verum si pugna est, non inter singulos nonnullos et bonum publicum, sed inter bonum omnium fere singulorum et bonum Status, tunc istud bonum singulorum praevalere debet. Nam (ut repetamus gravissimum hoc axioma): Status propter homines est, non homines propter Statum.

5. Diximus dein: Statum posse ea ordinare, quibus non jam aliter provisum est sive per Ecclesiam, sive per singulos, sive per familiam, sive per organismos Statui inferiores, veluti communitates civiles sive provincias.

Tenendum enim est, naturam Statuum esse, ut hoc verbo utamur, subsidiariam. Quod maxime patet in relatione ad Ecclesiam. Nam quum Ecclesia fundata sit expressa legislatoris declaratione, contra Status non subsistat nisi ex tacita ipsius declaratione, quumque voluntas expressa legislatoris semper anteponenda sit illi

tacitae, quae ex adjunctis colligitur: manifestum est, Statum non posse invita Ecclesia ullam ex iis rebus sibi arrogare, quarum cura a Deo demandata est Ecclesiae.

Sed et relate ad singulos natura Statuum est subsidiaria. Nam singuli priores erant (saltem ratione), quam Status, et quidquid per singulos sufficienter curatur, hoc eo ipso non est Statuum curae commissum. Absurdum v. g. esset, Statum velle omnium bonorum singulorum administrationem in se suscipere.

Idem, quod de singulis, valet mutatis mutandis de familia. Res quae natura sua familiae et parentum curae demandatae sunt, non spectant ad Statum. Cujusmodi sunt v. g. educatio liberorum, distributio fortunae inter liberos post mortem parentum.

Idem denique valet et relate ad communitates civiles et provincias. Pulchre hac de re dicit P. Cathrein: „Quid gubernio „et turri Ecclesiae in Litzelbuch aedificandae vel parti anteriori „domus publicae in Winkelhofen? Quid ei curae de magistro „civium eligendo atque adeo custode noctis instituendo in Stadel„fingen? Si in Anglia gubernium vellet se immiscere ejusmodi „rebus communalibus, opinio publica vehementer contra hoc pro„testatura esset eique demonstratura, in alienam segetem ipsum „immisisse falcem. In aliis terris ejusmodi res nullum jam movent „scrupulum . . .

„Quid diceretur, si ministro rerum internarum (au ministre de „l'intérieur) aliquando in mentem veniret, familiae alicui primariae „tutorem praeponere et cogere illam, ut ipsi annuam pensionem „solveret et res familiares ipsi relinqueret curandas? . . Fiat „applicatio. Etiam communitas est species quaedam familiae „majoris. Suas ipsa habet possessiones, forte haud exiguas, suas „habet consuetudines et traditiones, et veram quandam constituit „corporationem, juxta terminum in Anglia receptum . . . Cur igitur „imponitur ipsi ab alia potestate cum magnis expensis tutor aliquis, „forte centurio quidam emeritus, quamvis ipsa sufficientes habeat „vires ad se ipsam gubernandam vel saltem facile eas posset „procurare, modo liberaretur ex angustis vinculis tutelae bureau„craticae?“ [1])

1) Cathrein, S. J., Die Aufgabe der Staatsgewalt, Friburgi 1882, p. 77. — Bona quaedam hac de re pro Gallia habet Le Play in suo opere La réforme sociale.

6. Adversarii harum, quas modo exposuimus doctrinarum, sunt potissimum et despotismus, ultimi maxime saeculi, et socialismus nostrae aetatis.

Ille despotismus, quem jam nominavimus, coepit esse praesertim a tempore pseudo-reformationis, quum, Ecclesiâ catholicâ debilitatâ, principes saeculares nullam jam fere viderent limitem potentiae suae. Notum est, quam apotheosin potestatis regiae in Anglia praedicaverint legistae acatholici. De despotismo Ludovici XIV. in Gallia jam locuti sumus. In Austria Josepho II. imperante gubernium modo despotico in omnia se voluit ingerere, praesertim in Ecclesiae libertatem, ita ut vel ipsum numerum cereorum praeciperet, quem adhibere in missae sacrificio liceret.

Si rem spectes ex parte juris, gravissima certe in hoc despotismo latet juris laesio, non tantum juris positivi divini Ecclesiae, sed et juris naturalis sive Ecclesiae, sive singulorum, sive familiarum, sive communitatum civilium. Si vero spectes rem ex utilitate, nocivus prorsus apparet iste despotismus. Nam primo fieri non potest, quin Status, dum se immiscet rebus singulorum vel familiarum vel Ecclesiae, quae non spectant ad ipsum, eas imperfectius curet, quam ii, quorum est, ipsas curare. Hi vero — et hoc est alterum detrimentum — paullatim facilitatem amittunt curandi res suas, dum manibus pedibusque quasi a Statu ligantur. Dein Status contra, dum tot rerum curam in se suscipit, cogitur ad comparandum sibi innumerabilem exercitum officialium, dependentium a superiorum beneplacito; quod item non valde prodest bono publico, ut videre possumus in Austria, comparata cum Anglia. Dein fieri non potest, quin Status res majores et magis universales, quae propriae ipsius sunt, male administret, dum vires ac tempus rebus minutissimis impendit, quae familiarum esse debent ac singulorum.

7. Similis est despotismo, quem modo exposuimus, non origine quidem, verum natura sua, socialismus, qui nostris diebus latius serpit, cujus principia etiam a guberniis interdum aliquatenus adoptantur.

Iste Socialismus reactio quaedam est contra liberalismum oeconomicum, qui sequitur Adam Smith et eam scholam, quae ab urbe Anglica Manchester nomen habet, cujus summum principium est notum illud: „Laissez faire et laissez aller.“ Effectus hujus liberalismi erat, ut magni capitalistae et industriales ditiores in

dies fierent, utque operarii in proletariorum numerum magis magisque deciderent. Monebantur operarii, ut ipsi se juvarent: parsimoniâ, diligentiâ, industriâ; congregati sunt, v. g. in Germania a Schulze-Delitzsch in societates quasdam, ut unitis viribus efficacius juvarentur; sed sine magno effectu. Evidens magis magisque factum est, sine interventu auctoritatis publicae non esse remedia sufficientia contra mala et pericula imminentia. Extremi igitur socialistarum, duce C. Marx et Lasalle, voluerunt, ut media omnino exorbitantia adhiberentur, v. g. ut dominium privatum de medio tolleretur; ut Status omnes homines cogeret ad laborandum, utque fructus laboris inter omnes distribuerentur. Quae principia jam antea in Gallia viguerunt et celebre illud effatum genuerunt: „La propriété c'est le vol."

Quae theoriae quam falsae quamque subversivae sint societati humanae, non opus est longius hic exponere. Illud vero hoc loco notemus, Statum, licet leges quasdam ferre debeat ad operarios tuendos, non tamen eousque debere pervenire, ut sine ratione sufficiente familiam vel singulos ex earum rerum cura expellat, quae ipsorum propriae sunt. Quales sunt v. g. educatio et instructio liberorum et distributio bonorum per successionem hereditariam.

8. Quod liberorum educationem spectat, diu jam, praesertim in Germania, observata sunt a gubernîis principia omnino socialistica. Sive volunt parentes, sive nolunt: liberi debent frequentare scholas publicas, quae fidei catholicae et moribus nonnunquam valde perniciosae sunt. Secuta sunt gubernia istud axioma, quod famosus Danton jam olim proclamaverat in Gallia: liberos esse reipublicae, priusquam essent parentum.

Patet, secundum sana principia educationem et instructionem liberorum esse parentum in ordine naturali. Ecclesiae in ordine supernaturali, ad quem ordinem Ecclesia eos per baptisma gignit. Non negamus, Statum interdum modo extraordinario se posse hanc in rem immiscere, v. g., si parentes sufficientem educationem negligunt; concedimus item, ipsius esse scholas fundare, si opus sit, ut parentes meliorem nanciscantur opportunitatem ad liberos instruendos. Negamus, Statum posse ordinario modo cogere omnes parentes, ut liberos in scholas publicas mittant; negamus, ipsum posse generatim impedire, ne alii, multoque minus, ne Ecclesia scholas suas habeat, liberosque in illas libere admittat.

Quod ut melius clarescat, utamur comparatione. Matris familias

vel patris est, coquere, decidere, quid coquatur, emere res coquendas. Gubernii est prospicere, si opus sit, ut habeantur bonae nundinae, ubi omnes emere possint, quod comedere velint. Jam si gubernium ultra decerneret: quid in singulis familiis coquendum; si decerneret, nemini licere coquere, nisi qui prius examen coram officialibus suis subiisset; si decerneret, ubi res coquendae emi, juxta quem librum parari deberent: quilibet statim videret, hoc esse socialisticum atque tribuere Statui, quod proprium familiae et singulorum est. Jamvero perversio ejusmodi et confusio diu jam facta est relate ad educationem et ad scholas; sed ita assueti sumus huic rei, ut non jam sentiamus, quam socialistica sit.

Cousin[1]) ita argumentatur: Statui licet, homines ad militiam conscribere; hinc etiam, id quod minus est, licet ei parentes cogere, ut liberos in scholas mittant. Negamus paritatem. Milites enim conscribere licitum esse potest, si aliter respublica conservari nequit; bene autem respublica videtur conservari posse etiamsi liberi non cogantur in gubernii scholas. Caeterum in Anglia etiam nunc libertas singulorum eousque integra remansit, ut nemo in militiam conscribatur, sed ii tantum milites fiant, qui libere dent nomen.[2])

9. Alia lex, principia socialistica sequens, est lex illa Codicis civilis Napoleonis I., qua homines prohibentur, libere de bonis suis disponere, sive inter vivos, sive mortis causa.

Napoleon I., uti ipse fatetur in epistola ad fratrem suum, regem Neapolitanum, voluit perdere antiquas illas gentes aristocraticas in Gallia, quae regibus legitimis fidem servarunt. Hoc facillime putavit se assecuturum, si legem sanciret, qua bona parentum inter liberos aequalibus fere partibus deberent distribui. Ideo hanc legem tulit. Quae lex quam perniciosa sit, ex hisce patet: Primo jus privatum singulorum laedit. Domini enim est, disponere de bonis suis, sive inter vivos sive mortis causa, non gubernii. Quodsi gubernium lege sua sine ratione sufficienti hanc dispositionem interturbat, socialisticum hoc est.

Objicitur: „Si Status liberam dispositionem bonorum parentibus „relinquat, possint hi valde injuste vel inique de iis disponere. Ergo „debet lege universali cavere, ne abusus ejusmodi evenire possit.“

1) Revue des deux Mondes, 1. Juin 1870, p. 651.

2) Cf. de tota hac quaestione libellum auctoris: Die Schulfrage, 2. ed., (Friburgi, Herder, 1877).

Respondemus: Numquid Status magis amat liberos, meliusque scit, quid ipsis bonum sit, quam parentes? Nonne certa spes pecuniae obtinendae potest liberis esse occasio pigritiae et levitatis? Nonne adversa valetudo unius e liberis vel alia causa juste suadere potest parentibus, ut ei majorem dent partem haereditatis, quam reliquis? Num Status melius novit et amat bonum totius familiae, quam ille, qui a Deo statutus est caput familiae?

Sed faciamus: singulos posse abuti libera dispositione bonorum, a natura ipsis concessa. Nonne alio praeterea modo possunt abuti, quam donationibus vel testamento? Num ideo in bonis administrandis illis curator ponendus est a gubernio?

Caeterum non damnamus, si lex minimam aliquam portionem definiat, liberis omnibus a parentibus relinquendam; sed hoc damnamus, quod universa fere bona modo socialistico per dispositionem gubernii dispositioni dominorum eripiuntur.

Secundo: per legem Codicis civilis enervatur auctoritas paterna, prima et gravissima omnium auctoritatum humanarum. Quaelibet enim auctoritas, ut vim habeat, indiget sanctione quadam, qua saltem uti possit, si opus sit. Sanctio auctoritatis parentum erga liberos juniores est castigatio. Quaenam vero sanctio remanet, si adolescunt? Virga jam adhiberi non potest. Quid ergo faciet pater, si filius 15 vel 18 annorum in omne genus nequitiarum se praecipitem dat? Admonitionibus fortasse utetur. Sed filius spernit monitiones. Pater inermis est. Sed ponas, patrem, ut in Anglia, posse dicere filio: „Nullam accipies partem hereditatis, nisi resipueris!“ Haec vox fortasse multos filios ad bonam frugem reducet.

Si in Anglia omnes auctoritates, vel religionis vel gubernii, vel regia vel quaevis alia, tanto in honore sunt; contra si in Gallia frequentissime spernuntur: ratio nobis magna ex parte ea videtur, quod liberi primam auctoritatem, parentum dico, non satis agnoscere doceantur in Gallia propter legem Codicis civilis.

Accedit tertio, quod qui fundum aliquem possident, saepe cupiunt, indivisum ipsum posteris relinquere. Quod sub regimine Codicis civilis plerumque aliter efficere non possunt nisi per hoc, ut unum vel duos tantum habeant liberos. Atque accidit saepissime in Gallia, ut duo tantum sint liberi, quum in Anglia plures, in Canada, etiam inter illos, qui ex Gallia descendunt, saepe viginti vel viginti quinque inveniantur.

Hinc fit, ut lex Codicis civilis, quae favere videtur liberis

minoribus natu, hisce ipsis maxime obsit. Id enim efficit, ut ipsi omnino non nascantur. Ubi e contra patri liberum est, primogenito relinquere integrum fundum paternum, minores natu saltem vitam accipient, licet parva pecunia contenti esse debebunt. Dein plurimum obest istud systema hereditarium stabilitati traditionum in familiis. In parte septentrionali Germaniae v. g. praedia tum nobilium tum rusticorum valde stabilia sunt: per multa jam saecula, forte per mille annos, descendunt a patre in filium; nos quidem meminimus, videre acta quaedam saeculi 14. vel 15., in quibus eadem nominantur praedia colonorum, quae hodiedum florent; notum nobis est praedium quoddam familiae nobilis, quod ante 8 fere saecula ab eadem familia tenebatur. Jam si bonae traditiones religiosae adsunt, si v. g. dominus castelli (quod saepe in Westphalia fit) cum tota familia, cum servis et ancillis communiter instituit preces vespertinas, in quibus ipse praeit recitando rosarium aliasque preces: haec consuetudo non tam facile peribit. Mortuo enim patre, filius primogenitus, successor, honori sibi ducet, omnes has traditiones familiae continuare. Jam vero quid, si jus hereditarium Codicis Napoleonis introducitur? Ponamus, totum praedium habere 1000 jugera; horrea, stabula aliaque aedificia adaptata sunt huic agrorum numero; adsunt 4 liberi, inter quos dividendum est praedium. Si in natura dividitur, aedificia ista ampliora sunt pro una agrorum quarta parte; pro aliis tribus quartis, quum nulla adsint, nova sunt extruenda; eadem fere difficultas redit in generatione sequenti: verbo, divisio realis plerumque fieri non poterit. Ergo venumdandum est totum praedium, ut dividi possit ejus pretium; rumpuntur omnes traditiones, omnisque stabilitas familiarum ac pietas in domum paternam.

Num ideo jus primogeniturae volumus substituere loco partitionis aequalis? Nequaquam; quamvis auctoritatem veteris testamenti in nostram partem adducere possimus. Sed id solum volumus, ut Status liberam relinquat dispositionem parentibus, neque naturalem illorum libertatem coarctet per divisiones istas lege praescriptas; id solum postulamus, quod in Anglia et Statibus Unitis Americae habetur, ut qui dominus bonorum suorum vocatur, reapse dominus sit et libere de illis possit dispositionem facere. Nam per dispositiones Codicis civilis Status videtur potestatem suam modo socialistico prorsus transgressus esse.[1])

1) Gury (Theol. mor., p. I., n. 827) haec habet: „Theologis non paucis

10. Ultimo loco diximus. Statuum potestatem non extendi ad ea, quae a Deo reservata sunt Ecclesiae. Quod quidem ex duplici ratione patet: tum ex ea, quam modo vidimus causa, quod Statuum natura subsidiaria est, quodque Status totum suum jus sic tantum probare possunt, quia sine sua ipsorum immixtione non satis provisum sit hominibus; tum ex altera illa ratione, quod Status nihil potest contra expressam Dei ordinationem. Sed quum de limitatione potestatis Statuum per Ecclesiae jura fusius infra acturi simus, hic praecipere velimus breviter duas quaestiones, quae relationem subditorum ad Statum spectant: obligationem obediendi et jus resistendi.

3. Subditorum relationes.

a. Obligatio obediendi. [1]

Si juxta ea, quae modo diximus, Status non habet jus, quaelibet pro arbitrio exigendi et jubendi, sequitur evidenter, subditos non obligari posse, ut in rebus quibuslibet obediant. Nam jus et obligatio semper sibi correspondent. Subditorum igitur obligatio obediendi non latius patet, quam in Statu jus est praecipiendi; hoc autem jus circumscribitur limitibus modo explicatis.

Quodsi tempore persecutionum saepe a Catholicis asserebatur: in omnibus rebus licitis se velle obtemperare, hoc effatum ex bonitate supereffluente voluntatis oriebatur. Obligatio enim obediendi (generatim loquendo) in iis tantum rebus adest, quae cadunt inter limites potestatis civilis. In aliis rebus distinguamus: si peccatum est quod jubetur, ne licet quidem obedire; si peccatum non est, obedire quidem possumus, sed non tenemur.

b. Jus resistendi. [2]

Resistentia distinguitur duplex: passiva et activa. Passiva saepe ponitur tum in eo, quod quis vetita facit (v. g. si sacramenta

videtur, legem civilem non posse ita obligare parentes ad aequalitatem inter filios servandum." — Est meritum domini Le Play, quod attentos reddiderit animos ad perniciosas sequelas Codicis civilis in operibus suis: „La réforme sociale" et: „L'organisation de la famille".

1) Cf. P. Lehmkuhl S. J. hac de re in „Stimmen aus Maria-Laach" 1877, vol. XIII, p. 298, 388 seqq.

2) Cf. Cardinalem Hergenroether „Katholische Kirche" pag. 460—510.

gubernio civili invito administrat), tum in eo, quod jussa omittit (v. g. denuntiationem aliquam non facit). Neutrum nobis videtur voce resistentiae significandum esse, sed potius voce inobedientiae, sive activae sive passivae, inobedientiae utique interdum valde licitae.

Resistentia tum incipit, quum quis aggressionem quandam ex parte Status repellere studet. Haec eadem vel activa vel passiva est, prout media, quae adhibentur, in agendo vel non agendo consistunt. Activa erit, si vis vi repellitur; passiva, si v. g. vectigalium solutio denegatur, donec Status ab aggressione sua desistat.

Jam quaeritur, utrum licita sit aliquando resistentia. Lex universalis est, quam Cicero jam in oratione pro Milone exponit, ut adhibeatur moderamen inculpatae tutelae, utque vi vis injuste illata defendatur. Jam non est dubium, quin gubernium civile interdum vim injustam inferre possit. Unde quaeritur, num lex illa universalis inculpatae tutelae exceptionem quandam patiatur, si Status sit injustus ille aggressor.

Exceptio ejusmodi certe nonnunquam adest. Saepe enim prudentia et charitas suadebunt, ut omittatur resistentia, quae inutilis et perniciosa futura videatur propter majorem vim physicam potestatis civilis. Sed etiamsi affulgeat spes frangendi hanc vim, nihilominus interdum illicita erit resistentia propter mala majora, quae ipsa afferre possit bono communi. Tum patienter ferenda erit injuria, ne resistentiâ pejores res evadant.

Sed num semper aderunt ejusmodi exceptiones? Hoc non probatum videmus. Saltem non semper effectu suo carebit resistentia. Exemplo sit bellum, quo Status Americae septentrionales gubernio Anglico restiterunt et tandem libertatem assecuti sunt; similiter illud bellum, quo Belgium anno 1830 se liberavit ab Hollandia. Insuper bellum ejusmodi, si juste incipiatur, legitimum fundamentum esse poterit, ut illa pars, quae bellum incepit (v. g. America vel Belgium), si victoriam obtineat, Statum independentem se constituat. Si enim generatim retinere licet terram, justo bello occupatam, in quantum hoc opus est ad se tuendum contra novas injustitias: cur non poterit haec provincia vel colonia, quae bello justo independentiam suam evicit, legitime in hac independentia perseverare, ne denuo injustitiam ferre cogatur?

Caeterum licere resistentiam activam, consentiunt homines in

reliquis maxime dissentientes. S. Thomas Aquinas admittit resistentiam adversus principem, jus suum excedentem, si quis „sine scandalo vel majori detrimento resistere possit“ [1]).

Bluntschli, caput quondam sectae Massonum in Germania et instigator praecipuus pugnae contra Ecclesiam *(des Kulturkampfes)* ait: „Nisi agatur de universa existentia Status, sed si Status, juri suo nimium tribuens potestatemque excedens, se ingerit in vitam singulorum, si Status v. g. fidei religiosae vel sententiis scientificis singulorum dominari autumat, tunc hisce jus est, libertatem suam contra Statum defendere.“ [2])

Notum satis est, quomodo Lutherus data occasione non tantum activam resistentiam suaserit, sed et in eos Principes, qui novae ipsius doctrinae resistebant, invectus sit. Calvinus vero haec habet: „Abdicant se potestate terreni Principes, dum insurgunt contra Deum; imo indigni sunt, qui censeantur in hominum numero. Potius ergo conspuere oportet in illorum capita, quam illis parere.“ [3])

4. Religiosa officia Statuum.

a. Indifferentismus non admittendus. [4])

1. Gubernii est, bonum commune in universum curare. Rejecimus illam doctrinam, quae Statui justitiae solius curam tribuit; diximus, curam boni communis in universum spectare ad Statum.

Bonum summum commune est religio. Itaque (si interim ad Ecclesiam non attendimus) gravissima est Statuum obligatio, promovere bonum commune religionis. Sicut pater est quasi sacerdos familiae (nisi quantum Deus per revelationem aliter disposuerit), ita rex est summus sacerdos totius reipublicae (nimirum nisi quantum Deus per revelationem aliter rem ordinaverit). Dices

---

1) S. Thom. Summa-theol. 1. 2ae, q. 96., a. 4 in c. et ad 3.— Cf. 2. 2ae, q. 69, a. 4 in c. et 2. 2ae q. 42., a. 2. ad 3. — Cf. etiam contra: De regimine principis l. 1. cap. 6. — Cf. dein Card. Hergenroether „Kath. Kirche“ pag. 345 seqq. multosque ibi adductos auctores; denique: Balmes, De Catholicismo et Protestantismo, cap. 56.

2) Bluntschli „Deutsche Staatslehre“ p. 30.

3) Calvinus in Daniel c. 6. v. 22.

4) Cf. Encycl. „Immortale Dei“ n. 14 et 34.

forte: etiam ante Christi tempora sacerdotium nonnunquam separatum fuisse ab imperio. Hoc non negamus. Sed illud tantum affirmamus: in tota illa potestate publica, quae sponte ex potestate paterna et patriarchali efflorescit, contineri etiam aliquam partem, cujus officium et jus sit, res curare religiosas. Jam si totum illum organismum, qui extra revelationem naturaliter oritur, Statum vocamus, dicendum est: Statuum esse, providere rebus communibus religiosis. Deus enim vult, ut rebus religiosis, etiam communibus provideatur; atqui alia potestas, quae eas curare possit, non adest, nisi ea, quae orta est eo modo, quo generatim potestas publica oritur. Supponimus rursum, Deum non per revelationem alio modo res ordinasse.

2. Accedit altera ratio, cur Statui incumbat cura religionis. Religio non tantum est ipsa bonum aliquod commune, sed etiam medium optimum, ut reliqua bona communia promoveantur. Ergo etiam hac ratione excluditur indifferentismus et imponitur Statibus officium fovendi religionem eamque veram. Nam religiones erroneae, saltem in quantum sunt erroneae, eaedem sunt nocivae.

Videamus paucis, quasnam utilitates afferant praecipua doctrinae religiosae capita.

Ac primum quidem innumerabilia crimina impediuntur ea fide, qua credimus, Deum omnia videre, bonum remunerari, peccatum aeternis poenis punire. Deleatur haec fides, omnibus criminibus aperitur aditus; nam tum illud solum quaeritur, quomodo quis furari vel vindictam sumere possit, et ministros justitiae fallat. Ipsi ministri Statuum, qui hanc fidem perdiderunt, non multum curabunt bonum publicum, sed bonum suum quaerent, sive honorem, sive pecuniam. Qui aliquid ex ordinis publici perturbatione sperare possunt, non verentur fieri Socialistae et Nihilistae. Quorsum enim non fierent? Num conscientiâ impediuntur? Sed quid est conscientia, si Deus non est? Nihil, nisi vana quaedam imaginatio.

Tolle porro fidem, qua docemur, bona opera in vita futura praemia accipere, tolles fortissimum impulsum ad virtutes exercendas, bono communi utiles: fidelitatem (praesertim officialium), justitiam, parsimoniam, liberalitatem erga pauperes, patientiam in egestate, charitatem.[1])

Religionem bono sociali universo utilem esse tam evidens est,

1) Cf. Encycl. „Immortale Dei“ n. 1, 29—32, 44.

ut non diutius hac in re immoremur. Optima organizatio socialis non multum proderit, nisi religio adsit atque illae virtutes, quae ex religione nascuntur; cum illis vero etiam organizatio minus bona multum praestabit. Atqui utrum adsit religio, necne, ex eo pendet, utrum cives persuasum habeant, veram esse doctrinam religiosam. Ergo vel ex hoc capite constat obligari Status, ut non sint indifferentes, sed ut promoveant religionem veram atque veritates, ut arceant errores oppositos, v. g. atheismi, materialismi vel doctrinam, quae docet, homines non esse liberos ad bene vel male agendum. Quare Plato verissime: „Ignorantia Dei veri „maxima pestis est omnium Statuum; quare quicunque religionem „destruit, destruit fundamentum societatis humanae.“ [1])

3. Praeterea accedit tertia ratio, eaque maxime sublimis, ad damnandum indifferentismum Statuum circa religionem.

Est Status natio, si ita dicere licet, personificata. Potestas autem publica est organum, per quod tota natio agit et repraesentatur. Repraesentatur vero relate ad singula sua membra v. g. per judices, qui poenas infligunt; repraesentatur relate ad alias respublicas per legatos; repraesentatur relate ad Deum ac Dominum suum per sacerdotes. Non enim singuli tantum, sed et natio ipsa ut natio, respublica ut respublica, debet cultum Deo exhibere; hic autem cultus exhibendus est a capite reipublicae, vel saltem hoc caput curare debet, ut exhibeatur. Jam si Deus non ipse constituerit sacerdotes, valebit illud, quod dicit Suarez:

„Statuendum est, esse in humana republica potestatem ad „instituenda sacrificia, quae nomine totius populi Deo offerantur, „quae non possunt alicujus privata auctoritate institui aut immu„tari. Haec conclusio est certa, et communi omnium gentium usu „satis probata. . . Hujus autem rei ratio primo ex eo reddi potest, „quod natura hominum postulat, ut in unum politicum corpus rei„publicae congregetur; hoc autem politicum corpus ad Dei cultum „debet potissimum ordinari; ergo necesse est, ut non solum singuli „private colant Deum, sed etiam ut tota respublica per modum „unius corporis cultum Deo exhibeat.“ [1])

Liberis non licet indifferentibus esse erga parentes, sed debent

1) Plato de legibus l. X. — Cf. de hac quaestione: Cathrein S. J. „Die Aufgaben der Staatsgewalt“ p. 80 seqq.

1) Suarez: De eucharistia et sacrificio missae, disp. 73, sect. 4, n. 3 in S. Thom. III., quaest. 83. art. 1. — Cf. Encycl. „Immortale Dei“ n. 12 et 13.

eos colere, amare, injurias ab iis arcere; sic et hominibus, sive singulis, sive in Status congregatis, non licet indifferentes se habere in Deum, in cultum divinum, veram falsamve religionem, crimina Deo illata.

4. Quae hac in re objici possunt, solventur postea, ubi agemus de separatione Ecclesiae a Statu. Hic adducamus interim verba quaedam Professoris protestantici Geffken, eoque libentius, quod antea contra eum diximus. Praenotamus autem, nos non illud approbare quod dicit, posse aliquando haberi moralitatem veram sine religione. Ejus verba sunt:

„Verum indifferentia mutua inter Statum et societatem reli-„giosam, etiamsi haberi posset, nunquam esset optanda, quia ambo „in gravissimis vitae totius humanae momentis sibi occurrunt; „licet minuas quantum fieri potest, puncta contactus ad evitandos „conflictus: nunquam poterit Status carere religione in educatione „morali civium, quia nulla est moralitas sine religione; exemplum „paucorum, qui fidem religiosam abjecerunt, et nihilominus honeste „agunt, nihil contra hoc probat, quum ipsi, licet non conscii hujus „rei, in fundamento morum populi sui nitantur, quod elementis „religiosis impletur. Multo major numerus nunquam ex se ipso „perveniet ad firmitatem moralem; facta invicte probant, quam sit „inane, velle locum religionis in populo aliquo supplere philosophia „et scientia morali, quae religionem non attendat; omnium Statuum „mores primo loco fundantur in religione; ubi fides religiosa „evanescit, sicut ultimis temporibus liberae reipublicae *(Republik)* „Romanae vel Ludovici XV. (??), rapide tolluntur pudor ac mores, „fundamenta ipsius Status putrefacta sunt et interitum imminentem „annuntiant. Relatio igitur mere negativa inter Statum et Eccle-„siam, qua vita religiosa perfecte a Statu segregaretur, etiamsi „haberi posset, necessario perniciosa esset nationi; ex altera parte „Ecclesia non potest renuntiare omni vi in Statum et restringere „se ad solos animos; nam religionis ratio naturaliter tendit in „gravissimas vitae humanae causas. Ideo de facto perfecta sepa-„ratio inter Statum et Societatem religiosam nunquam est attentata, „et minus etiam in effectum perducta . . . Omnia igitur indicant „ordinatam conjunctionem utriusque potestatis, quia inter ipsarum „fines communiter radices prosperitatis societatis sitae sunt.“ [1])

1) Geffcken „Staat und Kirche“ p. 6 et 7.

b. Verae religionis promotio. — Brachium saeculare.

1. Constat, Statui non licere, esse indifferenti erga religionem. Restat videre, quammam applicationem principium hoc habeat pro diversis nationum conditionibus. Manente enim hoc eodem principio generali maxima diversitas esse potest quoad singula Statuum jura et officia, si spectes applicationem hujus principii pro diversa populorum conditione. Sicut enim aliquando Statui licitum esse potest, milites vi conscribere, aliquando hoc non licebit: sic etiam pro diversis rerum adjunctis aliud esse potest Statuum jus et officium in rebus religiosis. Maximi autem momenti hac in re est: utrum adsit vel non adsit revelatio divina.

Itaque jam videamus, quid pro diversa rerum conditione Statui incumbat.

2. Si Status (i. e. ille, qui gubernacula Status tenet) ne suspicionem quidem habet de revelatione quadam supernaturali facta, nihilominus vi solius rationis naturalis certo cognoscere potest, esse Deum creatorem, cui et singuli homines societasque politica cultum religiosum debeant. Hinc princeps Status debet (quod apud Suaresium legimus) curare, ut non tantum a singulis, sed et a natione ut natione Deo exhibeatur cultus religiosus debitus.

Sed si oritur suspicio, factam esse a Deo revelationem quandam, qua Deus certum aliquem cultum forte sibi exhibendum praecipiat, vel media offerat, quibus facilius et perfectius homines assequi possint finem suum ultimum, in altera vita obtinendum: certe primo loco est singulorum, in hanc revelationem inquirere. Secundo loco inquisitio haec erit patrum familias, ut non pro se ipsis tantum, sed et pro liberis, curae ipsorum commissis, hanc revelationem detegant; liberi enim ipsi forte aut omnino non poterunt inquirere, aut minus bene, quam pater. Sed potest esse, quod et ipsa familiarum capita minus facile possint inquisitionem instituere, quam publica potestas; v. g. si requiratur legatio quaedam in regiones longinquas ad missionarios accersendos. Quod si accidit, magis etiam gubernii erit, hanc revelationem quaerere.

Prout hodie toto orbe terrarum res se habent, inquisitio ejusmodi, adjuvante gratia divina, vix alio perducere poterit tum singulos, tum potissimum Statuum moderatores, quam ut agnoscant: primo, si inter se pugnant atheismus, pantheismus, polytheismus,

monotheismus, eligendum esse omnino monotheismum; secundo si variae adsunt religiones monotheisticae, religionem christianam plenam habere veritatem, Judaismo (prouti nunc est) et Mohammedismo admixtos esse errores; denique tertio litem inter Ecclesiam catholicam et varias sectas, quae per temporis decursum ab ipsa desciverunt, certissime decidendam esse pro Ecclesia catholica.[1]) Verbo: Quilibet Status (nisi forte per ignorantiam excusatur) tenetur, et plenam agnoscere veritatem catholicam, et subditis suis, quantum in ipso est, procurare et in praxin perducere. Status igitur (nisi exsurgere velit contra auctoritatem divinam, cui omnia debet) oportet catholicus sit plene et perfecte, et debet fieri catholicus, si forte nondum est.[2])

3. Postquam catholicus factus est Status, non extinguitur ejus et officium et jus curandi bonum religiosum subditorum; aliam tantum recipit applicationem, et quidem „quoad illa, quae per„tinent ad religionem, civilis potestas magis limitata nunc est in „Ecclesia“.[3]) Si usque ad id tempus regis erat, sacrificium offerre Deo nomine totius populi: nunc jam tenetur adire sacerdotes Christi, ut offerant. Si usque modo tenebatur, veritates religiosas procurare populo suo, easque stabilire: nunc jam debebit juvare, quantum in ipso est, Apostolos et missionarios Christi, ut docere possint populum. Si usque modo ipsius erat instituere festa religiosa vel ordinare alias res religiosas publicas: nunc jam ipsius erit, per „brachium saeculare“ adjuvare, ut, quae Ecclesia ordinavit, observentur. Merito itaque Karolus Magnus se ipsum nominavit: „Ego Karolus, gratia Dei ejusque misericordia „donante, rex et rector regni Francorum, et devotus sanctae „Ecclesiae defensor humilisque adjutor.“

c. Errorum et criminum religiosorum impugnatio.[4])

1. Verae religionis promotione non totum absolvitur officium religiosum Statuum. Etiam errores nocivi debent, quantum fieri

1) Cf. Encycl. „Immortale Dei“ n. 15.

2) Cf. Encycl. „Immortale Dei“ n. 13.

3) Suarez, de leg. l. 4. c. 11. — Cf. Card. Hergenroether, „Kath. Kirche“ p. 394; Walter, „Naturrecht und Politik“ § 515 p. 515 seqq.

4) Cf. Encycl. „Immortale Dei“ n. 42 et 43. — Card. Hergenroether, „Kath. Kirche“ n. XI. pag. 543—616. — Lehmkuhl S. J. in „Stimmen aus Maria-Laach“ vol. XI. pag. 184, 249, 402, 532 seqq.

potest, removeri, crimina contra religionem debent puniri – utrumque, uti patet, in subordinatione ad Ecclesiam, cujus principaliter est, res omnes curare religiosas. Ratio hujus officii Statuum triplex illa est, quam supra memoravimus. Primo: religio pertinet ad bona communia civium; bona autem communia tueri est Statuum. Secundo: religio est medium gravissimum ad promovenda reliqua bona socialia; ergo Status, qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media convenientia adhibenda, i. e. ad religionem tuendam. Tertio: Status tenetur curare, ne Deus creator auctor etiam potestatis civilis, a subditis suis injuriis afficiatur; ergo debet punire crimina contra religionem, quibus Deus laeditur.

Locus hic est, denuo ostendendi, quam nocivae bono sociali sint falsae religiones.

Si error vel in eo solo versetur, ut verae religioni negetur assensus et subjectio, non tamen errores positivi addantur, nihilominus turbatur saltem unitas et conjunctio populi, qui veritatem agnovit; firmitas et efficacia, seu, ut ita dicam, fertilitas fidei ad bona opera etiam in aliis hominibus debilitatur isto pessimo exemplo, dubitationis periculum crescit.

Sed vix eveniet, ut Ecclesia vera relinquatur neque simul admisceantur errores, bono communi nocivi. Albigensium v. g. et Husitarum haeresis directe impetit auctoritatem civilem. Mohammedanorum et Mormonum polygamia perdit unitatem, aliae doctrinae indissolubilitatem matrimonii, cujus integritas maximi momenti est ad bonum sociale. Religio, quae negat libertatem humanam et docet, Deum alios praedestinare ad coelum, alios ad infernum, ita ut hi nihil mutare possint, enervat hominum industriam atque cuivis crimini offert excusationem. Denique ea doctrina, quae negat, charitatis operibus praemium tribui in altera vita, uberrimum obstruit fontem, ex quo instituta aegrotis, pauperibus, orbis et aliis societatis necessitudinibus utilissima emanant.

Non tamen dicimus, Statum debere errores et crimina religiosa persequi mediis quibuscunque voluerit. Si hoc diceremus, incideremus in errorem eorum, qui jus Statuum ex sola utilitate putant probari posse, qui v. g. asserunt, Statum posse cogere omnes liberos in scholas suas, quia hoc ipsi utile esset. Hoc non dicimus. Sed illud tantum, Statum debere rationem religionis habere in iis rebus, quae ad ipsum spectant. Debet ergo, si codicem poenalem conficit, etiam blasphemiae, apostasiae, perjurio

aliisque criminibus religiosis poenas assignare; debet, si agitur de novis subditis (v. g. Judaeis) in civitatem recipiendis, respicere, utrum unitas et firmitas religionis hinc plus detrimenti, quam par est, recipiat. Hoc enim simul etiam attendendum est, num graviores rationes adsint, quae aliquando exigant, ut v. g. Judaeus in civem recipiatur, vel ut apostasia relinquatur impunis.

Objicitur forte: eodem jure, quo nos volumus, ut Status tueatur religionem catholicam, possunt Mohammedani exigere, ut Status foveat Mohammedanismum.

Respondemus: Probetur nobis, Mohammedis religionem esse veram; statim concedemus, Statum debere ipsi favere.

Caeterum videtur nobis maximum hodiedum periculum non jam imminere ex falsis istis religionibus, olim ortis, sed ex perfecta illa irreligiositate, ex atheismo, ex materialismo et ex societate Massonum[1]), quae ad omnes religiones aut indifferentem se habet aut inimicam. His erroribus potissimum fit, ut Italia, Gallia, Hispania, Lusitania de revolutione in revolutionem ruant, utque Nihilismus in Russia omnia perdere videatur.[2])

2. Hucusque potissimum de erroribus religiosis locuti sumus, non de criminibus; unde sermo esse non potuit de poenis, quum solus error non sit crimen neque poenam mereatur.

Aliter vero res se habet, si agitur de criminibus religiosis. Suntne punienda a Statu? Videamus!

Quid? Debetne puniri injuria erga cives? Certe! Vel injuria erga regem, caput totius Status? Certissime! Est enim crimen laesae majestatis. Ergone etiam injuria in regem regum, omnis juris ipsiusque Status fontem, totius ordinis socialis omniumque rerum fundamentum? Qui hoc negaret, aut atheus esset, aut sanae rationis usum amisisset.

De facto, proh dolor, videmus nostris diebus rationem religionis magis magisque evanescere e codicibus poenalibus populorum. Crimina in Deum et religionem non jam primum locum obtinent; atque adeo de criminibus in Deum vix sermo est, et crimina religiosa vix videntur puniri, nisi in quantum et bonis inferioribus (v. g. fortunae) simul nociva sunt.

---

1) Cf. S. D. N. Leonis Papae XIII. Encyclicam de secta Massonum, d. 20. Aprilis 1884.

2) Cf. Nicolai Karlowitsch „Die Entwicklung des Nihilismus" 3. ed. 1880.

Exemplum habes in codice poenali novi imperii Germanici. Hic enim codex tractat sectione 1. et 2. de perduellione et crimine laesae majestatis, sectione 3. de injuria in principes imperii. Sed ubi habetur injuria in Deum, seu blasphemia? Agitur de ea in aliqua parte sectionis 11. inter delicta, quae religionem spectant! Perjurium vix jam videtur haberi crimen in religionem; ponitur enim in sectione 9. inter crimina, quae monetas spectant (sectio 8.), et falsam denuntiationem (sectio 10.)!

3. Nostri temporis homines potissimum id aversantur, ne puniatur haeresis et schisma. Hoc fastidium magna ex parte fundatur in erroribus historicis et theologicis. Putant tempore medii aevi homines innocentes propter meras opiniones quasdam vel errores poenis afflictos esse. Quodsi unquam factum esset, certissime esset vehementissime vituperandum et vituperaretur imprimis ab Ecclesia catholica. Solus enim error non meretur poenam.

Quid est ergo, cur nihilominus censeamus, puniendam esse haeresin et schisma? Exponamus rem re simili!

Ponamus, Austriam acquirere modo legitimo partem aliquam imperii Turcici. Fert ergo leges quasdam et decreta. Sed en! Homines nolunt obedire; dicunt enim, se non esse subditos Austriae. Gubernium Austriacum debet igitur probare illis, se legitime acquisiisse territorium.

Quo probato pars populi se subjicit; alia etiam tum resistit. Possuntne hi nunc puniri? Certissime.

Simili modo possent a superioribus suis v. g. a potestate civili et Judaei et Gentiles puniri, qui non volunt Ecclesiae a Christo fundatae se subjicere, postquam documenta sufficientia allata sunt, saltem si insuper impediunt fidem. Nihilominus mos Catholicorum non est, ut ipsos puniant.

Sed veniamus ad haereticos et schismaticos, et redeamus ad similitudinem nostram. Quid, si vel illi, qui gubernium Austriacum agnoverint, et probationes ab ipso allatas declaraverint sufficientes, si ipsi postea dicerent: se jam nolle agnoscere gubernium Austriacum; et rationem allegarent: titulum possessionis non esse sufficienter probatum. Numquid injustum et inhumanum est, ipsos punire tamquam rebelles? Certissime non est.

Idem prorsus judicandum est de haereticis et schismaticis. Agnoverant enim, legitimam esse auctoritatem Ecclesiae catholicae.

Quae quum postea ob aliquam rationem non jam placeret, se Ecclesiae subduxerunt, quae Christi locum tenet, et vel eo pervenerunt, ut hanc Ecclesiam injuriis et calumniis impeterent, ejusque potestatem destruere studerent. Exemplum habes Neoprotestantes *(Altkatholiken)* qui post concilium Vaticanum ab Ecclesia defecerunt. Olim agnoverant, Concilium esse infallibile in rebus fidei et morum. Jam Concilium Vaticanum decidit quaestionem quandam, ad fidem et mores spectantem. Neoprotestantibus non placet decisio, et obedientiae Ecclesiae debitae se subtrahunt, imo bellum atrocissimum illi inferunt! Quodsi ejusmodi rebellio adversus regnum aliquod committeretur, certe gravissime puniretur; num rebellio contra regnum Christi impunis abibit?[1])

d. Quid sentiant Ecclesia et viri ecclesiastici de religiosis Statuum officiis.

1. Quae diximus de ratione, qua potestas civilis se habere debeat erga religionem et erga Ecclesiam, ita nobis ex rerum natura fluere videntur, ut jam inde concludere liceat, Ecclesiam, virosque ecclesiasticos semper idem sensisse. Aliquos tamen adducamus.

Notum est, quo odio S. Joannes Evangelista, discipulus praedilectus Domini, arserit in haeresim. „Si quis", inquit, „venit „ad vos, et hanc (quam modo exposuerat) doctrinam non affert, „nolite recipere eum in domum, nec *Ave* ei dixeritis. Qui enim „dicit illi *Ave*, communicat operibus ejus malignis."[2])

S. Augustinus ait: „Quomodo ergo reges serviunt in „timore (Ps. 2, 11), nisi ea, quae contra jussa Domini fiunt, re„ligiosa severitate prohibendo atque plectendo?"[3]) Et alibi: „Felices eos dicimus, si juste imperant . . . si suam potestatem „ad Dei cultum maxime dilatandum majestati ejus famulam „faciunt."[4])

Similiter, ac S. Augustinus, loquitur S. Leo Magnus Papa (440—461). Scribit enim Leoni imperatori: „Agnosce igitur,

1) In quaestionibus historicis hac de re cf. iterum Card. Hergenröther, „Kath. Kirche" pag. 542 seqq.

2) 2. Joan. 1, 10.

3) S. August. ep. 185, al. 50 ad Bonifac. n. 19 (Opp. II. 651 Maur.)

4) S. August. De civ. Dei, lib. 5. c. 24.

„auguste et venerabilis imperator, in quantum totius mundi prae-„sidium divina sis providentia praeparatus, et quid auxilii „matri tuae Ecclesiae debeas, quae te filio maxime „gloriatur.“ [1]) Et alibi: „Qui supra curam rerum temporalium „religiosae providentiae famulatum divinis et aeternis dispo-„sitionibus perseveranter impenditis, ut scil. catholica fides, quae „humanum genus sola vivificat, sola sanctificat, in una confessione „permaneat et dissensiones, quae de terrenarum opinionum varietate „nascuntur, a soliditate illius petrae, supra quam civitas Dei „aedificatur, abigantur.“ [2])

Sic et S. Gregorius Magnus Papa (590—604) admonet Mauritium imperatorem, a coelo ipsi datam esse potestatem, „ut „terrestre regnum coelesti regno famularetur“ [3]).

2. Saeculis sequioribus et praesertim tempore medii aevi easdem obtinuisse sententias, non est quod exponamus, quum notum sit satis.[4]) „Religio“, ait Em. Cardinalis Hergenroether, „si-„cut et olim in quovis Statu antiquo, ita et in Statibus medii aevi, „habebatur tamquam fundamentum et fulcimentum necessarium „societatis, aestimatio et defensio ipsius tanquam primum et gra-„vissimum officium principis. Ante omnia exigebatur, ut, qui „regeret, esset minister Dei, defensor ecclesiarum, debilium et „egenorum. Secundum Sacrae Scripturae verba habebatur vicarius „et minister Dei pro Dei populo (1 Chron. 28, 5; 29, 11. 23; „Ecclesiastic. 17, 14. 15; Rom. 13, 4), obligatus ad rationem „exactissimam (Sap. 6, 2—11; Ezech. 34, 10. 11); justitia sola „poterat firmare thronum ipsius (Prov. 16, 22; Ps. 72, 2 seqq.). „Sine animo vere religioso, ait Gerson die 6. Januarii 1391, nemo „vere potest dici rex; firma in Deum fiducia est maxima laus „quam Scriptura dat principi . . . Officia erga Deum et erga „Ecclesiam, in quibus observandis princeps omnibus praelucere „debet, prima et gravissima ipsius habebantur. Multis in Sta-„tibus monarcha ea expressa tantum conditione eligebatur, ut „catholicam profiteretur fidem, eamque totis viribus contra omnem „impugnationem defenderet, qua ratione tranquillitas et pro-„speritas terrae maxime certa fieret . . . Coronatio regum, quae

1) S. Leo M. ep. 164. c. 1. p. 1345 Baller.

2) S. Leo M. ep. 157. c. 1. p. 1339.

3) S. Gregor M., L. 3. ep. 65. (J. n. 903).

4) Cf. v. g. Auctorem: De regim. principis, lib. 2, c. 15. 16; lib. 3. c. 3.

„jam primis temporibus cum episcoporum ordinatione comparabatur, „religiosam illis dedit consecrationem, populo exhibuit celsitudinem „dignitatis, ipsisque magnitudinem officiorum suorum.“ [1])

3. Quod proprium erat medii aevi, mutari poterat saeculis posterioribus: sed quod situm erat in ipsa Christianismi et veritatis natura, debebat manere. Itaque et hodie et quidem in illis ipsis regionibus, in quibus per constitutiones magna pars potestatis civilis a regibus in ipsos populos transiit, eadem valent principia. Mutata est solum persona eorum, qui Deo rationem debent reddere, quomodo Status officia sua erga religionem et Ecclesiam impleat. Sed officia haec ipsa manent. Et si potestas transiit aliquatenus a rege in ministros ejus et singulos subditos, respondere debebit Deo tum rex, qui malas, i. e. injustas leges signat, tum ministri, qui leges signandas ei proponunt, tum electi a populo ad comitia publica, qui suffragium dant, tum eligentes, qui eligunt homines non bene acturos.

Quod ipsum regem spectat, non poterit, si injustas leges, quae v. g. Ecclesiae jura laedunt, signat, ita se purgare, quod constitutionibus nostri aevi ministri respondere soleant pro legibus signatis. Aut enim regis subscriptio aliquam habet vim, aut nullam; si nullam, cur subscribit? si aliquam habet, non licet ei ita cooperari injustis legibus ferendis, quum ne inferioribus quidem officialibus liceat, injustas ejusmodi leges (quae leges proprie non sunt) executioni mandare, postquam latae sunt.

Hinc fit, ut Ecclesia eodem modo, quo loquebatur ante mille annos et amplius, hodiedum etiam loquatur de religiosis Statuum officiis. Sicut Gregorius I. vult, „ut terrestre regnum coelesti regno famuletur“, sic Gregorius XVI. per Encyclicam „Mirari vos“ d. 15. Augusti 1832 damnat indifferentismum religiosum, praesertim Statuum, neque quidquam esse sperandum dicit, sive Ecclesiae sive Statibus, a conatu eorum, qui Ecclesiam a Statu separare et mutuam concordiam imperium inter et sacerdotium frangere velint.

Fusius vero Pius Papa IX. in Encyclica „Quanta cura“ d. 8. Decembris 1864 et Syllabo ipsi annexo errores damnat, qui hac in re veritatem catholicam oppugnant; imprimis:

„Optimam societatis publicae rationem civilemque progressum

1) Hergenroether, „Kath. Kirche“ pag. 5—7.

„omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur, „nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel „saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine.“ (Encycl.)

„Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles „leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate de„clinare.“ (Syll. 57).

„Aetate hac nostra non amplius expedit, religionem catholicam „haberi tanquam unicam Status religionem, ceteris quibuscunque „cultibus exclusis.“ (Syll. 77; cf. 78.)

„Enimvero falsum est, civilem cujusque cultus libertatem, „itemque plenam potestatem omnibus attributam, quaslibet opiniones „cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad po„pulorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi „pestem propagandam.“ (Syll. 79; cf. 80.)

Finem imponamus huic disputationi de Statuum officiis, imprimis religiosis, proferendo pulcherrima illa verba, quibus in Encyclica „Quanta cura“ Pius Papa IX. universos orbis terrarum alloquitur Episcopos:

„Fidelibus inculcare nunquam desinite omnem veram felici„tatem in homines ex augusta nostra religione, ejusque doctrina „et exercitio redundare, ac „„beatum esse populum, cujus Dominus „„Deus ejus.““[1]) Docete, „„catholicae fidei fundamento regna sub„„sistere““[2]), et „„nihil tam mortiferum, tam praeceps ad casum, „„tam expositum ad omnia pericula, si hoc solum nobis putantes „„posse sufficere, quod liberum arbitrium, cum nasceremur, accepi„„mus, ultra jam a Domino nihil quaeramus, id est, auctoris nostri „„obliti, ejus potentiam, ut nos ostendamus liberos, abjuremus.““[3]) „Atque etiam ne omittatis docere, „„regiam potestatem non ad „„solum mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium „„esse collatam““[4]), et „„nihil esse, quod civitatum Principibus „„et Regibus majori fructui gloriaeque esse possit, quam si, ut „„sapientissimus fortissimusque alter Praedecessor Noster S. Felix „„Zenoni Imperatori perscribebat, Ecclesiam catholicam . . . . . „„sinant uti legibus suis, nec libertati ejus quemquam permittant

1) Psalm. 143, 15.

2) J. Coelest. epist. 22. ad Synod. Ephes. apud Coust. p. 1200.

3) S. Innocent. I. epist. 29. ad Episc. conc. Carthag. apud Coust. p. 891.

4) S. Leo epist. 156. al. 125.

„„obsistere . . . Certum est enim, hoc rebus suis esse salutare, „„ut, cum de causis Dei agatur, juxta ipsius constitutum regiam „„voluntatem Sacerdotibus Christi studeant subdere, „„non praeferre.[1])""

III.

Utriusque potestatis conjunctio.

1. Cui debetur hegemonia?[2])

1. Inquisivimus (sub I) in fundationem Ecclesiae catholicae visibilis per Christum Dominum, et vidimus aliquatenus etiam naturam et potestatem hujus Ecclesiae. Inquisivimus similiter (sub II) in originem, naturam, potestatem Statuum, et vidimus quaedam de ratione, qua Status se habere debent erga religionem et Ecclesiam. Sed nondum redactae sunt ambae potestates in unum corpus sociale. Haec conjunctio jam nunc erit perficienda.

Sed utrum Deus voluit, ut ita in unum quasi corpus seu aedificium coalescerent? An, ut utraque potestas prorsus pro se staret et independens esset ab altera? Qui hoc putaret, ostenderet, se nihil intelligere de rebus humanis. Nam ob rationes tum speculativas tum vitam ipsam spectantes rejicienda est haec perfecta separatio. Ut unitas habeatur in rebus humanis, una debet esse potestas, quae absolute sit suprema. Hinc aut tertia quaedam visibilis potestas assignanda est, cui et Ecclesia et Status subsint, aut uni ex hisce tribuenda est hegemonia. Quod ultimum eligendum erit, quum tertia ejusmodi potestas non appareat. Secus enim societas humana modo Manichaeico in duas partes discerperetur, prout jam dictum est per S. D. Bonifacium Papam VIII. in bulla: „Unam sanctam".[3])

Sed et in rebus quotidianis facile apparet, necessariam esse aliquam ejusmodi hegemoniam. Status v. g. vult omnes cives ad arma vocare contra hostem; Ecclesia jubet, parochos in paroecia remanere. Quid faciant parochi? Si tum Status tum Ecclesia est prorsus independens, debebunt utrique obedire et simul esse in

1) Pius VII. epist. Encycl.: „Diu satis" 15. Maji 1800.

2) Cf. Card. Hergenroether, „Kath. Kirche" VIII. „Die Lehre von der Superiorität der Kirche und ihrer Gewalt über das Zeitliche", pag. 373—459.

3) Cf. Encycl. „Immortale Dei" n. 25 et 26.

castris et in paroecia! Dicendum ergo est de Ecclesia et de Statu, quod celeberrimus Professor acatholicus Stahl Berolinensis de Papa et de Principibus saecularibus asserit: „Unum aut alterum „debet esse: aut indirecta potestas Papae super res saeculares, „aut indirecta potestas Principis (saecularis) super res ecclesiasticas. „Non est tertium.“ [1])

Comparatio aliqua rem magis illustret. In rebus domesticis tum pater tum mater habent sua quisque officia et jura propria. Sed quid fieret de educatione liberorum et de aliis rebus communibus familiae, si pater et mater sibi perfecte aequales, neuter alteri subjectus esset? Quaestiones, quae de re aliqua sic vel aliter ordinanda exsurgerent, omnino non possent decidi, et actum esset de unitate familiae.

Sic et actum esset de unitate societatis humanae, si Ecclesia et Status perfecte et sub omni respectu sibi coordinarentur. Licet hae potestates inter se non dependeant in iis rebus, quae unicuique prorsus propriae sunt: alterutra tamen debebit superior esse in rebus illis, quae utramque aliquo modo spectant. Alteri hegemonia debetur.

2. Hanc hegemoniam Ecclesiae esse, non Statuum, probant primo indubia Christi effata.

Universa disputatio, quam de origine et potestate Ecclesiae visibilis catholicae supra instituebamus, id evicit: Christum, Deum ac Dominum nostrum, mandasse Ecclesiae catholicae, i. e. Petro et Apostolis eorumque successoribus, ut ipsius loco universum genus humanum regerent et pascerent, sicut pastor regit et pascit gregem suum. Potestatem, quam hunc in finem illis relinquit, dicit esse potestatem ligandi atque solvendi *„quaecunque“*. Non distinguit inter relationes singulorum, familiarum, Statuum, sed sine ullo discrimine dicit: *quaecunque alligaveritis, quaecunque solveritis.* Sed ubi lex non distinguit, ne nostrum quidem est distinguere. Potestas igitur Ecclesiae non solum in singulos extenditur homines, sed etiam (quantum fini Ecclesiae id consentaneum est) in hominum societates, sive domesticas, sive civiles.

Quinam Status simile potest allegare mandatum expressum Dei, quo sibi subjiciantur, non tantum homines sui territorii, sed regnum Jesu Christi, regnum illud Danielicum?

1) Stahl „Rechtsgutachten“ pag. 69.

3. Sacrae Scripturae verbis alia possumus adjungere testimonia; incipiamus a nostra aetate et ad saecula priora ascendamus.[1])

Cardinalis Antonelli, mandato Summi Pontificis, die 19. Martii 1870 scripsit Nuntio Parisiensi, principi Chigi, ut ipse communicaret cum gubernio Gallico, quae sequuntur: „Subjectio „civilis potestatis sub religiosa habetur in hoc, ut sacerdotium „praecedat imperium ratione altioris naturae finis alterius super „finem alterius; sic itaque auctoritas imperii dependet ab auctoritate „sacerdotii, ut res humanae a divinis, ut saeculares a spiritualibus. „Si felicitas temporalis, finis potestatis civilis, subordinata est „beatitudini aeternae, fini spirituali sacerdotii, annon inde sequitur, „ad finem obtinendum, propter quem constitutae sunt „a Deo, alteram esse alteri subordinatam, eo modo, quo fines „sibi subordinati sunt, quos persequuntur?"

Hanc doctrinam hodie esse communem inter omnes theologos et juris prudentes vere catholicos, vix est, quod dicamus. Ex ipsis terris, in quibus catholici numero pauciores inter heterodoxos vivunt, nominamus ex Anglia Em. Cardinalem Manning, e Germania, praeter Card. Hergenroether, saepius jam laudatum, Professorem Phillips (in praestantissimo opere de jure ecclesiastico) et Dn. Molitor (in libello de decretali „Per venerabilem").

„Ecclesiae autem superioritas", ait Card. Hergenroether, „inter christianos eo magis videtur necessaria, quia sine ipsa „desideraretur relatio inter utrumque ordinem, naturalem atque „supernaturalem. Perfecta separatio inter Ecclesiam et Statum, „si tamquam axioma ponitur, luce fidei catholicae considerata „perspicitur esse: divulsio hominum a Deo, rei creatae a creatore, „aversio societatis a fine suo supremo, diruptio et divisio hominis „in hominem ecclesiasticum et civilem, quae rerum naturae repugnat, „multasque officiorum collisiones inducit, contra illud proverbium: „„Quod Deus conjunxit, homo non separet"" (Matth. 19, 6). Luce „factorum singulorum considerata exhibet difficultatem immensam, „quum temporalia et spiritualia non semper tam facile sejungantur."[2])

Phillips inquit: „Vel unus oculorum aspectus in spiritualis „et temporalis potestatis diversitatem ostendit, fieri non posse,

1) Cf. Encycl. „Immortale Dei" n. 18. 25. 26.

2) Card. Hergenroether „Kath. Kirche" pag. 392.

„ut sibi coordinentur. Ecclesia est regnum istud Christi, a Deo „immediate fundatum, omnia continens, legibus immutabilibus „superstructum, aeternae felicitatis gratia constitutum; Status vero „sunt hominum regna singula, vario modo constituta, bono terreno „destinata. Quomodo coordinatum esse potest regnum ab hominibus „fundatum divino? Quomodo tempore et loco circumscriptum „universali? Quomodo finis prosperitatis terrenae fini beatitudinis „eorum, qui regnant cum Christo?“ [1])

Saeculo 18. nos edocet doctus Princeps et Abbas ad S. Blasium, Martinus Gerbert, liber baro de Hornau († 1793), qui ipse potestatem tum spiritualem tum temporalem simul tenuit: „Dubitandum“, inquit, „non est, cum finis spiritualis regiminis sit „longe praestantissimus, ac hominis ad aeternam vitam destinati „ultimus et supremus, ei omnes alios subordinari debere et cedere, „si quae collisio officiorum contingeret . . . Quodsi ergo in „regimine saeculari sit aliquid, quod spirituali obsit, cedat necesse „est potiori juri nobiliorique fini; quidquid contra prodest, et facit „ad consecutionem finis praestantioris, ex parte ignobiliore inferi- „oreque consecrandum est et deferendum parti superiori.“

Si ascendimus paullulum, invenimus Suaresium, qui pronuntiat: „Dicendum est, potestatem ecclesiasticam non solum esse in se „nobiliorem, sed etiam superiorem et habere sibi subordinatam „et subjectam potestatem civilem. Est conclusio „haec certa et commmunis apud Catholicos.“ [2])

Cardinalis Bellarminus fuse hanc materiam tractat; ait: „Finis temporalis subordinatur fini spirituali, quia felicitas „temporalis non est absolute ultimus finis, et ideo referri debet in „felicitatem aeternam . . . Non recte asseritur, spiritualia pendere „a temporalibus: ergo temporalia a spiritualibus pendent, illisque „subjiciuntur.“ [3])

Medium aevum totum versatur in subjectione temporalium sub spiritualia. Ecclesia comparatur soli, Status lunae; Ecclesia animae, Status corpori; aliisque ejusmodi imaginibus exhibetur ambarum potestatum relatio.

S. Thomas Aquinas asserit: „Potestas saecularis subditur

1) Phillips, „Kirchenrecht“ vol. 2. pag. 618.
2) Suarez de leg. lib. 4. c. 9.
3) Bellarm. de Rom. Pont. l. 5. c. 7.

„spirituali sicut corpus animae, et ideo non est usurpatum „judicium, si spiritualis praelatus se intromittat in temporalibus, „quantum ad ea, in quibus ei subditur temporalis potestas.“ [1])

Pulchre hanc rem exponit Bonifacius Papa VIII († 1303) in constitutione sua „Unam sanctam“, quam, quum toties memoretur, integram hic proponere liceat. Summus Pontifex dicit:

„Unam sanctam ecclesiam catholicam et ipsam apostolicam „urgente fide credere cogimur et tenere, nosque hanc firmiter „credimus et simpliciter confitemur, extra quam nec salus est, nec „remissio peccatorum. — Igitur Ecclesiae unius et unicae unum „caput, non duo capita, quasi monstrum Christus videlicet et „Christi vicarius Petrus, Petrique successor, dicente Domino ipsi „Petro „„Pasce oves meas““. Meas, inquit, et generaliter, non „singulariter has vel illas; per quod commisisse sibi intelligitur „universas. Sive ergo Graeci sive alii se dicant Petro ejusque „successoribus non esse commissos, fateantur necesse, se de ovibus „Christi non esse, dicente Domino in Joanne, unum ovile et unicum „esse pastorem. In hac ejusque potestate duos esse gladios, „spiritualem videlicet et temporalem, evangelicis dictis instruimur. „Nam dicentibus Apostolis: „„Ecce gladii duo hic““, in Ecclesia „scilicet, quum Apostoli loquerentur, non respondit Dominus, *Nimis „esse*, sed *Satis*. Certe, qui in postestate Petri temporalem esse „gladium negat, male verbum attendit Domini proferentis: „„Con- „„verte gladium tuum in vaginam.““ Uterque ergo est in potestate „Ecclesiae, spiritualis scilicet gladius et materialis. Sed is quidem „pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus. Ille sacerdotis, is „manu regum et militum, sed ad nutum et patientiam sacerdotis. „Oportet autem gladium esse sub gladio et temporalem auctori- „tatem spirituali subjici potestati. Nam quum dicat Apostolus: „„Non est potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinata „„sunt““, non autem ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio, „et tamquam inferior reduceretur per alium in suprema. — Spiri- „tualem autem et dignitate et nobilitate terrenam quamlibet „praecellere potestatem, oportet tanto clarius nos fateri, quanto „spiritualia temporalia antecellunt. Quod etiam ex decimarum „datione, et benedictione et sanctificatione, ex ipsius potestatis „acceptione, ex ipsarum rerum gubernatione claris oculis intuemur.

1) S. Thom. 2. 2., q. 60., a. 3 ad 3.; cf. De reg. princ. l. 2. c. 15; l. 3. c. 10.

„Nam, veritate testante, spiritualis potestas terrenam potestatem „instituere habet et judicare, si bona non fuerit. Sic de Ecclesia „et ecclesiastica potestate verificatur vaticinium Hieremiae: „„Ecce „„constitui te hodie super gentes et regna““ et cetera, quae „sequuntur. Ergo, si deviat terrena potestas, judicabitur a po„testate spirituali: sed, si deviat spiritualis minor, a suo superiori; „si vero suprema, a solo Deo, non ab homine poterit judicari, „testante Apostolo: „„Spiritualis homo judicat omnia; ipse autem „„a nemine judicatur.““ Est autem haec auctoritas, et si data sit „homini, et exerceatur per hominem, non humana, sed potius „divina, ore divino Petro data, sibique suisque successoribus in „ipso, quem confessus fuit petra, firmata, dicente Domino ipsi „Petro: „„Quodcunque ligaveris etc.““ Quicunque igitur huic „potestati a Deo sic ordinatae resistit, Dei ordinationi resistit, „nisi duo, sicut Manichaeus, fingat esse principia, quod falsum et „haereticum judicamus, quia, testante Moyse, non in principiis, „sed in principio coelum Deus creavit et terram. Porro subesse „Romano Pontifici omni humanae creaturae declaramus, dicimus, „diffinimus et pronunciamus omnino esse de necessitate salutis.“ [1])

Sed et si mille fere annis ascendas, eandem invenies doctrinam. „Principatus hic“, ait S. Chrysostomus († 407) „tantum „civili praestat, quantum coelum terrae, vel potius multo magis.“ [2]) Et ipso saeculo secundo legimus: „Quantum eminet coelum super „terram, tantum eminet sacerdotium Dei super regnum terrenum.“ [3])

Quodsi primis religionis christianae saeculis rarius nominatur et exercetur haec hegemonia Ecclesiae super Status, notandum est, ante tempus Constantini Magni, i. e. ante saeculum IV., nondum fuisse Status christianos. Status vero ethnicos agnovisse ordinem a Christo Domino introductum, nemo sanae mentis expectabit. Bene hac de re dicit P. Schneemann: „Considerandum est, auctori„tatem non exerceri ad oblectationem ejus, qui praeest, sed ad „utilitatem ejus, qui subest. Unde sequitur, multa jura tunc demum

1) Cap. 1. d. M. et O. in Extrav. comm. (1, 8).

2) „Αὕτη γὰρ ἡ ἀρχὴ τοσοῦτον τῆς πολιτικῆς ἀμείνων, ὅσον τῆς γῆς ὁ οὐρανός, μᾶλλον δὲ καὶ πολλῷ πλέον.“ Chrysost. hom. 15 in 2. Cor. n. 5 (Migne LXI. pag. 507.)

3) „Ὡς ὑπερέχει οὐρανὸς τῆς γῆς, οὕτως ὑπερέχει θεοῦ ἱερατεία τῆς ἐπὶ γῆς βασιλείας.“ Testamenta XII. Patriarcharum Fest. Judae c. 21. Cf. Hergenroether, „Kath. Kirche“ pag. 375, ubi et plura testimonia.

„in usum deduci, quum res id exigat. Quamvis pater punire, „adeoque exhereditare possit, tamen non ipsi licet, pro libitu uti „hoc jure ad ostentandam potentiam suam, sed tunc solum, quum „filius peccaverit. Sic et expectare debet, donec filia nubere velit, „ut haec teneatur, expetere consilium ipsius. Varium potestatis „exercitium dependet igitur ex rerum adjunctis. Sicuti stultum „esset, exigere, ut jura omnia paterna exerceantur adversus „infantem recenter natum, sic ridiculum est, dicere, primos S. „Petri successores debuisse uti juribus, quaecunque in ipsorum „potestate continebantur erga Ecclesiam vix fundatam. Hac obser- „vatione corruunt omnia inania figmenta Febroniana, quorum funda- „mentum habetur in distinctione inter jura essentialia et non essentialia „Papae, inter ea, quae fecerit incorruptis primae Ecclesiae saeculis, „et ea, quae tempore medii aevi juris sui esse putaverit.“ [1])

4. Quum a rationibus externis ad internas nos convertimus, novam rationem hegemoniae ecclesiasticae invenimus in universali illa extensione visibilis regni Dei.

Quum ageretur de eo, ut ostenderemus, Statum superiorem esse singulis hominibus, familiis et communitatibus civilibus, provocavimus ad hoc: necessarium esse, ut altior et universalior quaedam sit potestas, cui singuli societatesque minores subordinentur. Et quia alia non praesto erat, nisi Status (siquidem revelationem supernaturalem, qua fundata est Ecclesia, tum non attendebamus), pronum erat inferre, Statum esse superiorem illis, utpote universaliorem.

Quae argumentatio, si tunc vim habebat, non poterit rejici, ubi agitur de Ecclesia et Statibus in rectam, quam Deus intendit, rationem redigendis. Jam dicimus: Status cuncti, qui sunt, certo aliquo territorio confiniuntur; Ecclesia vero ex Christi voluntate super omnes populos debet extendi, quia ad omnes populos mittuntur Apostoli; et de facto jam nunc latius extenditur, quam ullum regnum hujus mundi. Ergo inferimus: si Ecclesia et Status in subordinationis rationem redigendi sunt, ut in unum quasi corpus coalescat societas humana, hoc aliter fieri non potest, nisi ut Ecclesia, quae universalior est, sit superior, Status inferior.

Civiles enim potestates super orbem terrarum dispersae nulla

1) P. Schneemann, S. J., „Der Papst, das Oberhaupt der Gesammtkirche“. Friburgi 1867. pag. 9.

jam unitatis vinculo conjunguntur, ex quo per peccatum vel per peccati sequelas destructa est unitas illa socialis, totius generis humani quam Deus videtur intendisse. Redemptionis quidem opus aliqualem reduxit, et magis magisque reducere nititur socialem unionem, eam quidem non ita perfectam, ut diversos Status sub respectu civili prorsus conjungat, sed talem unitatem, ut sub respectu religioso saltem unitas socialis totius generis humani restituatur.

Habemus hic fere idem, quod et in aliis rebus: Redemptio non omnes removet peccati originalis sequelas; remanent mors, morbi, bella aliaque, nec reducitur paradisus. Sed id saltem efficit redemptio, ut bona spiritualia, imprimis gratia sanctificans, hominibus reddantur, et ut mala profana magna ex parte leniantur, ut bella v. g. sint minus atrocia, ut aegroti juventur ea charitate, quam religio christiana docet. Sic et res se habet in restituenda unitate sociali: reducitur in rebus religiosis (sicut et gratia sanctificans redditur homini lapso); non reducitur perfecte in rebus profanis (sicut et singulis remanent mors et morbi). Sed sicut leniuntur morbi aliaque mala profana, sic et vis unitatis religiosae id efficit, ut in rebus profanis nationes magis, quam ante Christum, conjungantur. Hoc autem fieri aliter non potest, nisi res profanae, civiles, subduntur aliquatenus religiosis, non autem contra. Sic enim participant de vi unitiva religionis christianae et Ecclesiae catholicae: quum contra subjectio Ecclesiae sub singulis Statibus unitatem perderet ipsius Ecclesiae, eodemque reduceret res, quo pervenerant post lapsum Adami et turrim Babylonicam destructam, gentesque a Deo dispersas.

Quos eventus et per historiae decursum aliquatenus observare licet.

Magis, quam ullo alio tempore, Ecclesia dominabatur tempore medii aevi. Quid inde effectum est? Effectum est illud, ut populi Europae occidentalis: Franci, Saxones, Angli aliique, antea inter se separati sibique maxime hostiles, in magnam et reverendam convenirent populorum quasi familiam, cujus pater erat Vicarius Christi. Terrorem injecerunt Saracenis; scientia, artes, divitiae miro more augebantur; sociale quasi extruebatur aedificium, quod a rusticis et opificibus usque ad regem extendebatur, quod et nunc admirationem movet. E contra: schisma Graecum Ecclesiam subdiderat Statui. Quid evenit? Non jam habetur una Ecclesia vel secta schismatica, sed permultae. Singula enim regna: Russiacum,

Turcicum, Austriacum, Graecum habent suas ecclesiolas schismaticas inter se independentes.

Similiter Protestantismus Ecclesiam subjecerat Statibus. Quid secutum est? Tot sunt ecclesiolae, quot regna vel principatus minimi; unitas vero doctrinae apud Protestantes fere in eo unice versatur, ut negent, religionem catholicam esse veram.

Eadem itaque certitudine, qua affirmamus, Christum, Dominum nostrum, fundasse Ecclesiam quandam visibilem, quae una sit in constitutione sua atque doctrina; eadem certitudine, qua profitemur cum symbolo Nicaeno „unam, sanctam, catholicam et Apostolicam Ecclesiam": eadem certitudine asserimus, Ecclesiam non posse subditam esse singulis Statibus. Quoniam ante jam vidimus, plenam coordinationem et independentiam utriusque potestatis non esse admittendam, sequitur invicte: singulos Status subdi aliquatenus Ecclesiae. Aliis verbis: Opus redemptionis debet vincere lapsum generis humani, non viceversa.

5. Ultima ratio hegemoniae ecclesiasticae, sed quae maxime urgeat et maxime internam rerum naturam spectet, sumitur ex fine utriusque potestatis. Dicimus: illi potestati debetur hegemonia, cujus finis altior est. Altior autem finis ecclesiae est. Ergo Ecclesiae debetur hegemonia.[1])

Illi potestati debetur hegemonia, cujus finis altior est. — Si deficerent effata expressa Christi de relatione Ecclesiam inter et Status, natura rerum spectanda esset. Hinc jam ex majori minorive universalitate argumentati sumus, Ecclesiae deberi potiores partes. Majoris vero momenti, quam universalitatis ratio, est ratio finis. Videamus hoc in re simili: Aedificanda sit via ferrea quaedam. Conducitur imprimis vir hujus rei peritus, qui ipsi viae aedificandae praesit; conducuntur operarii ad terram fodiendam aliosque id genus labores; conducitur denique architectus ad aedificia exstruenda in variis stationibus. Patet per se, istos operarios directe subdi artifici illo perito; debent fodere et aggeres ducere, ubi ipse vult. Hac conditione forte et expresse conducuntur. Sed quomodo se habet architectus erga artificem? Ponamus, nihil de hac re expresse statutum fuisse, quum conducerentur, neque posse nunc adiri ullum superiorem utrique communem. Patet utrumque posse proprio marte statuere in iis, quae

1) Cf. Encycl. „Immortale Dei" n. 26.

nullatenus referuntur ad res alterius; poterit v. g. artifex statuere, quam inclinationem recipiat agger, quem ducit; poterit architectus decidere, utrum stilo gothico an byzantino exstruere velit aedificia stationis. Sed adsunt etiam res, quae utrumque simul spectant, v. g. quo loco exstruantur aedificia stationis. Liquet utique, ambos debere convenire, et absurdum fore, si artifex ducat viam ferream per vicum X, architectus exstruat stationem in vico Y, dimidia hora distante. Ergo debent convenire, sicut et Ecclesia et Status de multis rebus debent convenire. Sed jam oritur quaestio: si divergunt amborum sententiae, num debet artifex se subjicere architecto, ejusque directionem sequi, an contra architectus sequi artificem? Videamus, qua ratione se habeat finis proprius operis, quod uterque curat. Num exstruitur via ferrea propter aedificia stationis? An potius eriguntur aedificia haec propter viam ferream? Aliis verbis: Num intrant homines currus viae ferreae ea mente, ut occasionem habeant solvendi antea pecuniam suam in statione? An potius solvunt in statione, ut vehantur? Certe hoc ultimum, certe eriguntur aedificia propter viam ferream, non via propter stationes! Unde sequitur, ut architectus debeat sequi artificem in loco eligendo, non artifex architectum. Secus enim architectus eligeret forte cacumen montis, quo artifex non posset perducere viam ferream. Verbo: Si duo debent cooperari in finem altiorem quendam communem, illi debetur imperium, cui finis altior incumbit curandus.

Jam quondam S. Thomas Aquinas, vel quicunque auctor est libri „De regimine Principum“, hanc veritatem hisce pronuntiavit verbis: „Ei, ad quem finis ultimi cura pertinet, subdi debent illi, „ad quos pertinet cura antecedentium finium, et ejus imperio „dirigi.“ [1])

Videamus alterum membrum argumenti nostri. Diximus: Altior finis est finis Ecclesiae. Qua in re probanda non modo ipsa rei evidentia, sed et ipsorum adversariorum Ecclesiae catholicae confessio nobis suppetit.

Hundeshagen, unus ex celeberrimis theologis protestantibus Germaniae, ait: „Intra religionem christianam nemo invenitur, qui „non illud pro certo habeat, caelo deberi partes superiores, terrae „partes inferiores et subordinatas; salutem animarum sine ulla

1) De reg. Princ. 1,14.

„comparatione pluris esse aestimandam, quam incolumitatem „quamlibet terrenam: majestatem rerum sanctarum modo infinito „excedere aliud quodvis majestatis genus; manuductionem in coelum „gaudere toto principatu illo, in rerum natura sito, prae manuductione „quavis alia ad vitae terrenae fines. Haec est philosophia christiana „et manebit philosophia christiana. Cogitari prorsus non potest, „hanc philosophiam unquam posse perdere vim suam in animos, „quamdiu religio christiana erit.“ [1])

Si pulchrum hoc effatum indigeret explicatione quadam etiam clariore, inveniremus hanc apud Geffcken, qui dicit: „Finis Status „est mere terrenus . . . finis visibilis Ecclesiae est terreno altior *„(ein überirdischer).“* [2]) Sed, ut est mire inconstans, omittit rectas conclusiones exinde deducere, sed est tali devotione erga Hegelii deum (Statum scilicet) captus, ut ad crimen suum expungendum addat: „Status est finis sui ipsius *(Selbstzweck),“* finis ejus est „absolutus“. Finis vero Ecclesiae (ut omnis suspicio, quasi cum Catholicis sentiat, removeatur) hisce verbis a Geffcken deprimitur: „Visibilis Ecclesia non est nisi institutum quoddam, quod a rerum „terrestrium natura exigitur.“

Finis sui ipsius revera non est nisi Deus. Propter Deum creatus est homo; res aliae, etiam vincula illa socialia seu societates, quibus homines conjunguntur, facta sunt propter hominem, ut eum juvent in assequendo fine suo. Omnia illa vincula, sive familiae, sive societatis civilis, sive religiosae, sua quodlibet ratione homini inserviunt. Societatis civilis seu Status est, promovere terrenam prosperitatem, in quantum haec publicam quandam actionem requirit. Ecclesiae vero est, doctrina, directione, sacramentorum dispensatione perducere hominem immediate ad finem suum ultimum, ad Deum creatorem ac dominum, omnisque beatitatis fontem. Finis Statuum ergo inferior est fine Ecclesiae. Finis vero sui ipsius *(„Selbstzweck“)* neque Status est neque Ecclesia, et ne ipse quidem homo, sed solus Deus, non Hegelii idolum.

Vel ipse philosophus acatholicus Berolinensis Mendelssohn pronuntiat: „Status et Ecclesia — cura rerum terrenarum et „cura rerum aeternarum — potestas civilis et ecclesiastica: illa „se habet ad hanc, sicut pondus rerum temporalium ad pondus

1) Hundeshagen, in Dove's „Zeitschrift für Kirchenrecht“, Berolini 1861, vol 1. pag. 259. sqq.

2) Geffcken, „Staat und Kirche“ p. 57.

„aeternarum; Status igitur subordinatus est religioni, cedere debet, „si collisio exsurgit. Jam resistat, qui potest, Cardinali Bellarmino „atque terribili argumentorum ipsius comitatui, probanti, Ecclesiae „caput propter res aeternas etiam de rebus terrenis disponere, „et ita saltem indirecte exercere jus quoddam supremi imperii „posse."

His testibus, quos et pro altiori Ecclesiae fine et pro ipsius hegemonia adduximus, adjungere possumus, ex quo editio nostra Germanica prodiit, clarissimum Koehler, quem saepius jam nominavimus. Dum in reliquis nos aggreditur, hac in re aliquatenus nobiscum sentit, ita tamen, ut secum ipso pugnet. En, quod de libro nostro dicit:

„Caeterum consentire debemus cum una ex potioribus auctoris „propositionibus: fieri non posse, ut Status et Ecclesia in mutua „independentia inter se constituantur. Aut Ecclesia est in Statu, „quod protestantica doctrina de Statu hodiedum vult, aut Status „est in Ecclesia secundum Catholicismi postulationem. In utroque „casu hegemonia quaedam indirecta alterius partis super alteram „sequitur. Consentire tandem et debemus . . . philosopho Mendels- „sohn, quem auctor adducit: „„Status et Ecclesia, cura rerum „„terrenarum et cura rerum aeternarum, potestas civilis et eccle- „„siastica: illa se habet ad hanc, sicut pondus rerum temporalium „„ad pondus rerum aeternarum; Status igitur subordinatus est „„religioni, cedere debet, si collisio exsurgit. Jam resistat, qui „„potest, Cardinali Bellarmino etc.““

Haec dicit adversarius noster! Quis non putet, ipsum concessurum nobis Ecclesiae hegemoniam? Sed nequaquam! Mira ejus logica invenit locum evadendi. „Locus evadendi", ait, „ex hoc „dilemmate (se subjiciendi Ecclesiae aut illam persequendi), tunc „solum habetur, si cura vitae religiosae populi in complexum „officiorum Status assumatur, ita tamen, ut per hoc juri ecclesiastico „non eximatur *(dass sie darum nicht säcularisirt wird)*, sed ut „Ecclesiae cum autonomia agenti locus maneat." [1]

Quod si recte intelligimus, aliis verbis sic fere possumus enuntiare: Quum Ecclesia Statui superior sit de jure, Status debet eam sibi subjicere de facto: tunc Ecclesia subdita erit Statui etiam de jure!

1) Koehler, in „Theol. Literaturzeitung", Lipsiae, 23. Febr. 1884, pag. 99 et 100.

Mira sane logica et juris prudentia!

Finiamus gravissimum hoc argumentum, ex fine utriusque potestatis desumptum, verbis Innocentii Papae III.:

„Cujus est finem considerare", inquit, „ejus est judicare de „his, quae debent ad finem ordinari, quia ratio eorum, quae ordi„nantur ad finem, ex fine sumitur; sicut enim ad intendentem „in aliquem finem spectat eligere ea, quae sunt congrua fini, ita „tollere ea, quae finis executioni impedimenta praestant; sicut „patet in medico, cujus non solum est judicare et providere de „adjuvantibus ad salutem, quam inducere intendit, sed etiam „removere ea, quae impediunt, et similiter ita est in aliis; sed ita „est quod corpus ordinatur ad animam etiam secundum gentiles „philosophos, et temporalia ordinantur ad spiritualia, et omnes „actiones christianorum debent ordinari ad consequendam vitam „aeternam tanquam nostrum finem ultimum secundum fidem catho„licam nobis expositam. Ergo cujus vel quorum est considerare „de salute et de spiritualibus . ., eorum est judicare de actionibus „spiritualibus hominum, per quas possint deviare a salute sua." [1])

Quantopere vero, applicato hoc Innocentii III. Summi Pontificis argumento, Status eorumque res temporales Ecclesiae, utpote finem altiorem prosequenti, subjiciantur, nemo non videt.

6. Hucusque rem magis ex parte juris examinavimus. Examinare eam paucis juvat etiam ex parte utilitatis: quidnam magis prosit populis, utrum hegemonia illa potestatis civilis, qualis habetur v. g. praesertim in Russia, an hegemonia Ecclesiae, prout tempore medii aevi Principes coercuit, ne populos sibi creditos violenter supprimerent, neve injustis vel inutilibus bellis illos vexarent.

Testis nobis sit hac in re celeberrimus Protestans Hugo Grotius, qui sic habet: „Quot dissidia sanata sint auctoritate „Romanae Sedis, quoties oppressa innocentia ibi praesidium repe„rerit, non alium testem, quam eundem Blondellum volo." [2])

Historiographus pariter Protestans Johannes de Müller dicit: „Loquuntur de Papa, quasi tantum sit infortunium, si inspector „legis moralis spiritualis possit imperare ambitioni et regnandi „cupiditati Principis: *hucusque et non amplius!*"

1) Innocent. III. Cap. Novit. (2, 1.)

2) Hugo Grotius, pro pace eccles. t. 2. p. 659 ed. 1679. Cf. Hergenroether, „Kath. Kirche" p. 31, ubi alia testimonia.

Similiter folium celebre Gallicum *Avenir* exponit: „Ordo „socialis catholicus illud intendit, ut tueatur populos adversus „tyrannidem et simul adversus ea mala, quae semper comitantur „violentas insurrectiones seu rebelliones; eodem prorsus modo, quo „institutio judiciorum intendit, tutos reddere homines atque domi„nium et avertere pericula defensionis singulorum. Quum eo „tendat, ut universum genus humanum in magnam quandam popu„lorum familiam constituat, perfectio est ordinis socialis pri„mitivi." [1])

Quam vero sit nocivum systema adversariorum, quod destruere nititur supremam Ecclesiae potestatem, bene explicat folium Germanicum *„Der Katholik"* hisce verbis: „Doctrina de plena inde„pendentia Principum saecularium a potestate ecclesiastica illimi„tatum erexit adversus populos despotismum, quum Principes „liberaret ab omni regula, ab omni lege externa ligante, quumque „pronuntiaret, neque tyrannidem, neque impietatem, neque perse„cutionem, quousque omnia haec procederent, posse secundum „divinam ordinationem nocere imperio supremo, . . . subditis, „quaecunque injuria illis inferretur a Principibus, neque jus esse „resistendi, neque jus recurrendi ad altiorem potestatem, ipsum„que Deum aeternam illis imposuisse obedientiam sub aeterna „oppressione . . .

„Verum etiamsi quis nolit agnoscere Ecclesiae auctori„tatem, non tamen potest suffocare in populorum animis „juris et injuriae sensum, sed destruit tantum medium „praeveniendi sensus hujus aberrationibus. Ideoque reges „vel ab ipso temporis momento, quo Ecclesiae potestati subtrahe„bantur, subdebantur populorum potestati, jamque ruunt et surgunt „throni tantum juxta arbitrium libidinum. Principatus spiri„tualis Papae fundamentum est et pignus principatuum „saecularium regum: ideo Europa nunc praeceps ruit in „democratiam." [2])

Hae sunt sequelae perturbationis recti ordinis et in rebus profanis et in ipsa potestate temporali, quae hegemoniam Ecclesiae eripuit.[3]) Funestiores etiam sunt vitae religiosae populorum. Religio parvi

1) Avenir 2. Febr. 1831.

2) Ex folio periodico: „Der Katholik", annus 11. fasc. 5. pag. 200, 201.

3) Cf. Encycl. „Immortale Dei" n. 29—33; 57.

penditur; Ecclesia ancilla fit Statuum; ministri Ecclesiae coguntur, obedientiam et reverentiam erga regem temporalem magis et profundius inculcare populis, quam obedientiam et reverentiam vel erga ipsum Deum, rerum omnium creatorem. Res temporales, quae juvare tantum debent res divinas promovendas, considerantur jam ut finis, cui inservire debeat et religio et Ecclesia. Unde sequitur, ut mores corrumpantur, fides evanescat, permulti homines finem ultimum, nimirum beatitudinem aeternam, non assequantur.

2. Jus „circa sacra", quod Status sibi vindicant.[1])

Probavimus, Ecclesiam et Statum ita debere in unum corpus coalescere, ut Ecclesia sit superior, Status inferior. Hoc ostendunt verba expressa Christi, traditionis testimonia, universalis Ecclesiae natura, comparata cum particulari natura Statuum; hoc ostendunt ratio finis utriusque potestatis et sequelae, quae pro hominum vita ex recto vel perverso rerum ordine fluunt.

Hac ipsa igitur expositione probatum jam est, Statum nullatenus esse superiorem Ecclesiae, et nulla esse illa jura superioritatis, quae Status variis nominibus sibi arrogarunt, v. g. „jus circa sacra", „jus supremae inspectionis" aliaque id genus.

Oriebantur jura ista putatitia potissimum e regnandi libidine. Praetextum dabat dogma protestanticum, Christum invisibilem tantum fundasse Ecclesiam, Ecclesiam vel sectas visibiles nihil esse nisi figmenta humana, quae, sicut aliae omnes singulorum societates, Statuum supremae auctoritati subessent. Accessit vesana illa Hegelii doctrina, juxta quam Status esset Deus et jure frueretur nullis limitibus circumscripto. Hinc factum est, ut v. g. gubernium Borussicum jus illud circa sacra, tanquam indubium, actibus suis continuo supponeret, et anno 1882 legem quandam ferendam expresse in jure hoc fundaret. Sed, quod pejus est, vel ipsi Catholici et gubernia catholica jus istud absurdum revera valere putabant; et e. g. eodem anno 1882 facultas juridica universitatis Monacensis, quae catholicam se esse dicit et catholico Bavariae gubernio subest, quaestionem concertationi instituendae proposuit: „Jura circa sacra *(die kirchlichen Hoheitsrechte)* regis Bavariae ostendantur historice et dogmatice."

1) Cf. Schneemann S. J., „Die Freiheit und Unabhängigkeit der Kirche." 2. ed.; Friburgii, 1867.

Quas vesanias, ut refellamus, videamus jus illud circa sacra vel supremae inspectionis: 1. non probari, 2. non posse probari, 3. non esse.

a. Jus circa sacra non probatur.

Quum jus hoc putatitium magna ex parte sit originis protestanticae, conjicere licet primos Germaniae, et praesertim Borussiae, juris peritos juri huic rationibus fundando operam navasse. Jam videamus, quid proferant.

1. Dove pronuntiat: „Jus majestaticum circa sacra *(Die „Kirchenhoheit)* est forma activitatis potestatis Statuum, quae se„quitur logica necessitate (?) ex officio morali Status, vi cujus „intra universalem juris populi sui ordinem, in quem et juridica „Ecclesia per corporalem naturam ejusque propter hanc neces„sariam indigentiam tutelae juris Status collocata est, omnibus „elementis, jure praeditis tum personis tum communitatibus, locum „et ambitum liberae actionis propriae praebere et munire, ideo „vero et fines ipsius assignare debet.“ [1])

En habemus! Periodum Professoris Germanici quantum potuimus perspicuam reddere conati sumus versione nostra. Sed quaeso, estne indicium veritatis, si res tam abstrusa periodo involvitur? Videamus autem, quid momenti insit verbis Dove ad probandum jus circa sacra!

Dicit primo: „Jus majestaticum circa sacra . . . sequitur „logica necessitate ex officio morali Status.“ Num potest Dove argumentari ex officio morali universim spectato, ita ut quilibet, qui habeat aliquod officium morale, habeat etiam jus superioritatis super Ecclesiam? Certissime non! Nam et singuli homines habent officia moralia, pater familias habet officium morale; nemo tamen dicet, hos omnes ideo habere „jus majestaticum circa sacra“, i. e. superioritatem quandam super Ecclesiam; potius subjiciuntur Ecclesiae propter hoc ipsum officium morale, quod habent, quia Ecclesia habet supremum officium morale super omnes populos omnemque orbem terrarum; hoc enim officium accepit a Christo.

Addit Dove huic officio morali aliud momentum, ut probare possit superioritatem Status. Loquitur enim de ejusmodi officio morali Status, „vi cujus“ intra universalem juris populi sui or-

1) Dove in ed. 7. libri „Richters Kirchenrecht“ § 100.

„dinem . . . Ecclesia . . . collocata *(hineingestellt)* est". Videamus, num hoc probet! Argumentum sonat fere sic: Ille est superior, intra cujus ambitum alter collocatus est. Jamvero Ecclesia collocata est intra ambitum Status. Ergo Status est superior.

Omittamus interim propositionem majorem; videamus solam minorem: Num Ecclesia catholica „collocatur" intra fines v. g. regni Bavariae? An Bavaria potius intra ambitum Ecclesiae catholicae? Nobis saltem Ecclesia catholica paullo majorem videtur habere ambitum, quam regnum Bavariae! Sed juvemus nonnihil Professorem Dove. Poterit prosequi argumentum suum dicendo: in Bavaria praeter Catholicos sunt etiam Protestantes et Judaei; ergo Ecclesia catholica non est, nisi pars regni Bavarici, ergo est „collocata intra ejus ambitum".

Respondeamus primo: Tunc saltem illi Status non essent superiores Ecclesiae, quorum omnes subditi sunt Catholici.

Respondeamus secundo indirecte: Intra ambitum Ecclesiae catholicae sunt et alii Status, quam Bavaria, v. g. Austria, Gallia, Hispania, Italia etc. Ergo ex ipso axiomate clarissimi Dove Ecclesia est superior Statuum.

Repondeamus tertio: Ex hoc axiomate adeo sequeretur, quemlibet patrem familias esse superiorem Ecclesiae, modo aliqui ex liberis ipsius essent Potestantes, nam tunc Ecclesia „collocata" esset intra ambitum familiae ipsius.

Verum est: ex majori minorive universalitate societatum argumentum peti potest ad subordinationem illarum mutuam probandam; nos ipsi attulimus ejusmodi argumentum. Sed non spectanda est nuda, et ut ita dicamus, fortuita universalitas; verum simul et finis societatum et dispositio divina, qua Christus misit Apostolos, ut omnes populos in ovile Ecclesiae congregarent. Hinc, si primis temporibus religio christiana finibus imperii Romani concludebatur, inde deduci non poterat, Ecclesiam esse subditam Imperatoribus.

Sed invenimus alterum momentum in verbis Dove, quo probare vult, Ecclesiam subesse Statibus. Dicit enim, Ecclesiam indigere tutelâ juris Statuum, seu indigere, ut Status tueatur jura ipsius.

Respondemus: Rex etiam indiget operâ exercitus sui ad jus suum tuendum. Num igitur exercitus est superior regi? Adjungit Dove: Statuum esse, omnibus (sive personis, sive communitatibus,

hinc et Ecclesiae) praebere et munire locum et ambitum liberae actionis: ergo et ipsius esse, fines hujus ambitus assignare.

Respondemus: Si haec volunt dicere, Statum esse omnis juris fontem, refutata sunt supra. Si vero hic est sensus, Statum debere omnium jura tueri, tunc responsio recidit in id, quod modo dictum est: illum, cujus munus est, jura alterius tueri, ideo non esse ipsius superiorem.

Hisce absolvimus argumentum Professoris Dove. Quaero: Quid remanet ex longa ista periodo? Nihil nisi verba subobscura, vi probandi prorsus destituta, uti fieri assolet in asseclis philosophiae pantheisticae Germanicae.

2. Bluntschli conatur probare jus circa sacra hoc modo: „Status hodiernus renuit omnem Ecclesiae superioritatem" (sed „quo jure?) „et tutelam" (quasi Ecclesia hanc sibi unquam vindicaverit!). „Desinit natura sua esse societas religiosa, sed et eo „magis fit societas juridica et politica. — Jus majestaticum circa „sacra est munus mere politicum, quod Status exercet tanquam „regnum saeculare et morale" (et tamen non religiosum!). „Hoc „jus majestaticum circa sacra (quod non involvit participationem „in regenda Ecclesia) competit cuilibet Statui, etiam non christiano, „erga quamlibet Ecclesiam."

Quum hic nihil inveniamus, nisi meras assertiones sine ulla argumentationis umbra, abstinemus ab omni refutatione.

3. „Status", dicit Ahrens, „debet curare, ut ordo juridicus „et politicus maneant sui juris, per hoc, quod exercitium jurium „omnium civilium et politicorum et admissionem ad officia inde„pendens reddat ab hujus vel illius religionis professione. Status nulli „Ecclesiae debet concedere jus coactionis externae, nulla Ecclesia „debet per coactionem urgere poenas disciplinares et vota."

Iterum merae assertiones, nulla probatio! Insuper falso supponitur, curandum esse, ut ordo juridicus et politicus maneant sui juris, quum natura sua et ex Dei voluntate subjiciantur ordini religioso. Nam fides religiosa, esse Deum, est fundamentum ordinis juridici et politici. Hinc Statui non licet id despicere, quam religionem teneant cives vel magistratus: utrum religionem veram, an falsam, quae est rebellio erga Deum Dominum generis humani. Dein si Deus ipse Ecclesiae a se institutae jus concesserit adhibendi coactionem externam, Statuum non est, cohibere hoc jus.

4. Roenne putat: „Jus sublime seu majestaticum circa „sacra est complexus jurium, quae Statui, prout ab Ecclesia „distinguitur, competit supra Ecclesias christianas aliasque „religiones, quas agnovit. Tanquam potestas temporalis Status „super Ecclesiam jus circa sacra est essentialis et inseparabilis „pars summi imperii civilis *(der Staatshoheit)*, ideoque indubie „competit ei, qui hoc imperium tenet.“ [1])

Utinam Roenne loco hujus „indubie“ nobis attulisset rationes! Nam et apud ipsum nihil invenimus, nisi assertiones, et eas magna ex parte falsas.

Falsum est primo, Statui competere aliquem „complexum jurium supra Ecclesias christianas“. Nam super Ecclesiam catholicam nullum ipsi competit jus, et si Roenne nihilominus existimat, ei competere, hoc ipsum esset probandum; haec enim res agitur.

Falsum est secundo, jus illud circa sacra, si competeret Statui, esse partem inseparabilem potestatis civilis. Jura enim, quae non minus juncta sunt cum potestate civili, quam jus illud, de facto separata sunt, quum v. g. Bavaria aliaque regna Germanica jura ejusmodi in novum imperium Germanicum transferrent. Si propter unitatem politicam Germaniae haec jura translata sunt, nonne possent Status jus suum putativum circa sacra transferre in caput Ecclesiae catholicae, ut haberetur unitas religiosa?

5. Hinschius videtur animadvertisse, non sufficere tales probationes. Confugit igitur ad Hegelii omnipotentiam Status, quum ageretur de istis legibus excusandis, quibus ultimis temporibus potestas civilis in Germania aggressa est Ecclesiam. [2])

Certe, si constaret de ista omnipotentia, etiam jus circa sacra competeret Statui; tunc enim nullum cogitari posset jus, quod Statui non competeret. Sed, ut idem iterum repetamus, haec omnipotentia non probatur, verum gratis asseritur. In opere quodam recentiori Hinschius omnipotentiam Status probare audet, sed miro sane modo. Dicit: „Independentia *(Souveränetät)* Status „est dominatio juridica. Haec utique ethice in exercitio suo per „obligationes quasdam potest restringi, sed non onerari obligationibus justitiae, secus non esset independentia.“ [3])

1) Roenne, Preussisches Staatsrecht, 2. ed. 1864.

2) Cf. „Stimmen aus Maria Laach“ 1871, vol. 1. pag. 522.

3) Hinschius, „Staat und Kirche“ pag. 269; cf. pag. 233. nota 2. et pag. 276 seqq.

Permutat aperte independentiam, i. e. libertatem a superioris cujusdam dominatione *(Souveränetät)* cum omnipotentia, i. e. libertate ab omni vinculo juris, etiam erga aequales vel subditos. Hinc nihil probat.

6. Friedberg videbatur probare velle jus circa sacra congerendo magnam multitudinem legum, quibus varii Status jus illud sibi vindicarunt. Fecit hoc imprimis ad ostendendum, gubernium Borussicum posse imponere Ecclesiae catholicae istud jugum, quo jam diu nimis premitur.

Simili modo facile probari potest, cuilibet competere jus interficiendi alium, quum multi alios interfecerint. Sed nobis interim videtur ejusmodi probatio non multum valere. Aliam vero apud Friedberg frustra quaesivimus.[1])

Viri quos nominavimus, sunt primarii ex illis, qui ultimis temporibus in Germania partes Status hac in re contra Ecclesiam tenuerunt, quorum praeterea, propter bellum, quod diu jam inter Ecclesiam et Statum intercedit, maxime interfuit, scriptis suis jus illud ostendere, quo potestas civilis modum agendi suum probet. Quodsi nihilominus alia non potuerunt afferre argumenta, quam ea, quae vidimus, certâ conjecturâ jam nunc possumus assequi, jus illud circa sacra omnino probari non posse.

Sed de hac re fusius.

b. Jus circa sacra probari nequit.

Si probari posset haec hegemonia Statuum super Ecclesiam, quam voce juris majestatici circa sacra significant, probanda esset aut ex revelatione, aut ex jure historico aut ex rerum natura. Alii enim fontes assignari nequeunt. Jamvero his ex fontibus probari non potest. Ergo omnino non potest probari.

1. Probari primo nequit ex revelatione. Inculcat utique Sacra Scriptura, obediendum esse superioribus; non vero dicit, potestatem civilem esse superiorem potestatis ecclesiasticae. Contra legimus: „Reddite igitur quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo.“[2]) Quibus verbis clare ostenditur, non omnia subesse Caesari, i. e. potestati civili. Ipsas vero res ecclesiasticas

1) Cf. refutationem Friedbergii in „Stimmen aus Maria Laach“ vol. 4. pag. 82 seqq.

2) Marc. 12, 17.

non subesse Statui, insuper ex eo patet, quod Apostoli magistratui civili, praedicationem ipsis interdicenti, non obediant, sed opponant dictum illud: „Obedire oportet Deo magis quam hominibus." [1])

2. Neque jure historico probatur jus circa sacra. Ut probaretur jure historico, probandum esset: aut hunc vel illum Statum, v. g. Bavaricum, acquisiisse per Concordata vel per longi temporis praescriptionem vel simili modo hanc potestatem: aut: consuetudine universali introductum esse, ut Ecclesia catholica subsit Statibus. Sed neutrum dici potest, quia Ecclesia numquam huic servituti consensit, neque consentire potuit: egisset enim contra voluntatem Christi, qui ipsi, non Statibus, independenter ab omni potestate civili, mandavit praedicare Evangelium cunctis populis, et quidem usque ad consummationem saeculi. Ecclesia igitur semper protestata est contra Statuum violentias et usurpationes. De illa autem consuetudine universali sermo esse non potest, ut jam contra Friedberg diximus. Hinc ne jure quidem historico potest probari jus circa sacra.

3. Restat, ut probetur ex natura rei, seu si mavis ex jure naturae.

Ut hac via jus aliquod probetur, probandum est primo, necessarium esse, ut sit tale jus, et secundo hunc vel illum determinari, cui jus illud competat. Sic ostendimus v. g., patri competere jus potestatis patriae et educationis adversus liberos; necessarium enim est liberis, ut educentur, et pater ipsa rei natura determinatur ille, cui officium et jus educationis inhaereat. Si vero deest alterutrum ex duobus illis elementis, non probatur jus; si v. g. nulla adest necessitas expropriandi, nullum est Statui jus expropriandi; sed etsi necessitas illa adest, nemo vero a natura designatur, cui competat jus, item jus illud non adest; sic v. g. valde necessarium esset, ut judex aliquis universalis esset, qui decideret lites inter nationes, ut bella evitarentur; sed (si revelationem non attendas) nemo a rerum natura ejusmodi judex determinatur, ideoque haec potestas universalis judicis non est.

Jam videamus jus circa sacra, quo Status dicitur constitui superior Ecclesiae. Num est necessarium? Non videmus, cur sit. — Necessarium utique est, ut sit unitas regiminis in Ecclesia, ut una omnium sit fides, unum caput supremum, ideoque Christus S. Petrum

1) Act. Ap. 5, 29.

constituit superiorem Ecclesiae. Sed num necessarium est, ut hoc caput supremum, saltem quoad potestatem in singulis territoriis exercendam, iterum subsit alteri capiti magis superiori. Principibus dicimus singulorum regnorum? Hoc non videmus. Ita discerperetur potius Ecclesiae unitas.

Atque haec necessitas ne pro illis quidem rebus adest, in quibus Ecclesia nullatenus difficilem se reddit in implendis gubernii civilis desideriis: in iis, quae spectant aedificia bene extruenda, incendia praecavenda, valetudinis rationem habendam. Vel, si mavis, adest necessitas, ut omnium istarum rerum cura habeatur, sed non determinatur potestas civilis, cujus sit, curam istam habere. Determinatur potius potestas ecclesiastica; nisi denuo Protestantium modo dicere velis, Ecclesiam restringi ad res invisibiles.

Sed objicis forte: Si res et personae ecclesiasticae prorsus subducuntur potestati civili, quomodo possum actionem movere adversus clericum aliquem, qui mihi centum debeat?

Hac de re agemus infra, ubi de immunitatibus. Interim sufficiat responsum: Poteris actionem movere coram judice ecclesiastico, simili modo, quo convenires Anglum coram judice Anglo.

Natura igitur rei bene ostendit, Status aliquo modo subesse debere Ecclesiae propter ipsius majorem universalitatem et altiorem finem; non exhibet ullam rationem, cur necesse sit, Ecclesiam subesse singulis Statibus. Hinc jus illud putativum circa sacra probari nequit.

c. Jus circa sacra non est.

1. Jus, quod non probatur, imo, quod probari non potest, pro nullo in usu vitae est habendum. Possumus itaque prorsus negligere illud jus circa sacra, quod Status se habere dicunt. Non enim probant, neque probare possent. Sed faciamus supererogatorium quid et ostendamus, nullum esse istud jus putativum.

Redeamus ad effatum illud Professoris Berolinensis Stahl: „Unum aut alterum esse debet: aut indirecta potestas Papae super „res saeculares, aut indirecta potestas Principis (saecularis) super „res ecclesiasticas. Tertium non est.“ Ergo si Ecclesia habet hegemoniam super Statum, Status non habet hegemoniam super Ecclesiam; secus perveniremus in circulos inextricabiles. Jamvero probavimus hegemoniam Ecclesiae. Ergo exclusimus hegemoniam Status.

Fieri potest, ut judex aliquis civilis subsit in rebus militaribus alicui centurioni, et ut idem centurio in rebus judicialibus subsit eidem judici. Sed hoc ideo tantum sine recti ordinis perturbatione fieri potest, quia uterque subest communi superiori, id est regi. Si vero potestates supremae inter se subjicerentur, ita ut Status deberet obedire Ecclesiae in rebus religiosis, Ecclesia subesset Statui in rebus civilibus: haberemus revera circulos inextricabiles, quum permultae sint res, quae aliquatenus sunt temporales, aliquatenus ecclesiasticae. Parochi v. g., quod jam diximus, deberent simul in parochia manere, ut ab Ecclesia ad hoc deputati, et simul in castra abire ut subditi gubernii civilis, quod eos ad stipendia vocaret. Recursus vero ad superiorem altiorem communem non esset, quum Ecclesia et Status sint potestates supremae.

Sed et amplius quid dicamus: Fingamus, Statum habere jura quaedam super Ecclesiam, v. g. ad spiritum nationalem fovendum, rem militarem curandam vel similia. Nonne haec jura ultimo loco subessent altiori et quidem summae potestati Ecclesiae, cujus finis est supremus, et cui dictum est: „Quodcunque ligaveris super „terram, erit ligatum et in coelis“? Ergo Statui saltem non tale competit jus circa sacra, quod ultimatim non iterum subsit Ecclesiae.

Omnibus autem iis, qui volunt esse Catholici, possumus et hoc dicere: Aut putant, Ecclesiam visibilem catholicam fundatam esse ab hominibus, sicut et alia regna; aut fundatam esse a Christo, ideoque esse Christi regnum. Si putant, eam esse originis humanae, jam desinunt esse Catholici, quum dogma aliquod fundamentale negent. Sin vero concedunt, Ecclesiam esse regnum Christi, quomodo possunt dicere, illam quomodocunque subjici regnis hominum? Constat igitur, Ecclesiam nullatenus esse subjectam potestati saeculari.

2. Nomine juris circa sacra (*Kirchenhoheit*) complectimur principium illud generale, Ecclesiam subesse Statibus. Jam vero quamprimum ostensum est, fictitium hoc principium esse, ruunt simul cum illo omnes applicationes in rebus particularibus, quae ex illo deduci solebant. Nullum igitur Statui est jus, quod vocant, supremae inspectionis, nullum jus, si agitur de clericis efformandis et ecclesiis praeficiendis (nisi quantum ipsa Ecclesia, v. g. ob patronatum, hoc jus concessit); nullum jus invigilandi bonorum Ecclesiae administrationi, multo minus,

bona ista, ut ajunt, saecularizandi. Ruit jus placeti regii, vi cujus gubernia civilia exigebant, ut documenta ecclesiastica ante publicationem sibi proponerentur, et sine ipsorum assensu non possent promulgari; ruit recursus ab abusu, quo quis appellare posset ab Ecclesiae decisionibus ad magistratus civiles, quasi ad tribunal altius. Ruunt denique omnia id genus vincula, quibus despotismus injustissimus et imprudentissimus sponsam Christi constrinxit, vel quibus filii ingrati seditionem commiserunt in matrem suam, eamque sibi fecerunt ancillam.

3. Sed hae injustae potestatis civilis usurpationes jam eousque in consuetudinem, mores ingeniaque vel ipsorum Catholicorum transierunt, ut viri alioquin optime catholici, qui editionem Germanicam hujus libelli legerant, mirabundi sic fere interrogarent: Num igitur nihil juris competit Statui in rebus ecclesiasticis? Num ne illud quidem poterit curare, ut in seminariis et monasteriis cura valetudinis habeatur, incendii periculum praecaveatur et similia? Respondeamus primo: In collisionibus Ecclesiam inter et Status solet de rebus majoris momenti agi, quam de illis, quas modo diximus. Si ad contagiones vitandas impediuntur processiones, si ad spiritum nationalem fovendum Status se immiscet in cleri educationem, revera agi solet de impugnanda Ecclesia catholica, quum has causas simulant. Nam valetudinem cleri sui vult et potest et Ecclesia optime curare; patriae amorem et ipsa fovet; sed hoc non potest admitti, ut his praetextibus Ecclesiae libertas opprimatur, piae devotiones impediantur, clerus imbuatur doctrinis a religione catholica alienis.

Hinc operae pretium est, et illos praetextus de medio tollere et ostendere, ne in istis quidem quasi profanis rebus Ecclesiam subesse Statui. Minime subest. Cur enim subesset? Num istae res non possunt eodem modo ab officialibus Ecclesiae curari, quam ab officialibus Status? — Sed si de facto non bene curantur? Tum moneat praefectus civilis parochum, gubernium civile scribat Episcopo vel adeo Romam, simili modo ac fit, si in confiniis duorum regnorum oriuntur difficultates. Sic res bono modo componetur, neque tamen opus erit, ut Status habeat jus illud „circa sacra".

Sed ponamus, omnes omnino imperfectiones non posse hac via vitari: nonne multo graviora pericula fidei, devotioni, libertati imminebunt, si vel in una re minima admittetur superioritas Status super Ecclesiam? Meminerimus, quomodo abusi sint illâ Principes,

v. g. Josephus II. Imperator, jure isto putatitio „circa sacra" ad libertatem Ecclesiae et populorum opprimendam! Eo devenit, ut vel devotionem Sanctissimi cordis Jesu et purissimi cordis Mariae proscriberet, quia non liceret, singula membra Domini Nostri vel Beatissimae Virginis colere! Seminaria dein Episcoporum, quae ad normam Concilii Tridentini erecta erant, suppressit, aliaque seminaria „generalia" erexit, quae morum corruptissimorum speluncae factae sunt.

Quare teneamus cum Sacra Scriptura verbum illud: „Jerusalem „sit sancta et libera cum finibus suis." [1]) Jus vero „circa sacra", quod Status sibi arrogare voluerunt, ut Ecclesiam libertate privarent, non probatur, probari non potest, non est.

4. Praeterea jus „circa sacra" tum universum, tum in variis suis partibus proscriptum est in Encyclica „Immortale Dei" Leonis XIII. et in Syllabo Pii Papae IX. d. 8. Dec. 1864.

In Encycl. „Immortale Dei" legimus:

„Sicut finis, quo tendit Ecclesia, longe nobilissimus est, ita „ejus potestas est omnium praestantissima, neque imperio „civili potest haberi inferior, aut eidem esse ullo modo „obnoxia." [2])

„Ecclesiam vero in suorum officiorum munere potestati civili „velle esse subjectam, magna quidem injuria, magna teme„ritas est." [3])

Similiter Pius IX. in Syllabo damnat sententiam:

Prop. 19: „Ecclesia non est vera perfectaque societas plane „libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a „divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est, definire, „quae sint Ecclesiae jura ac limites, intra quos eadem jura exercere „valeat."

Prop. 20: „Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere „non debet absque civilis gubernii venia et assensu."

Prop. 28: „Episcopis, sine gubernii venia, fas non est vel „ipsas Apostolicas litteras promulgare."

Prop. 29: „Gratiae a Romano Pontifice concessae existimari „debent tanquam irritae, nisi per gubernium fuerint imploratae."

1) 1. Mach. 10, 31.
2) Encycl. „Immortale Dei" n. 18.
3) Encycl. „Immortale Dei" n. 45 cf. 47. 49.

Prop. 41: „Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae „competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde „competit nedum jus, quod vocant *exequatur*, sed etiam *appellationis*, „quam nuncupant *ab abusu*."

Prop. 42: „In conflictu legum utriusque potestatis jus civile „praevalet."

Prop. 44: „Civilis auctoritas potest se immiscere rebus, quae „ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest „de instructionibus judicare, quas Ecclesiae Pastores ad conscien„tiarum normam pro suo munere edunt; quin etiam potest de „divinorum Sacramentorum administratione et dispositionibus ad „ea suscipienda necessaria decernere."

Prop. 49: „Civilis auctoritas potest impedire, quominus „sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere „ac mutuo communicent."

Prop. 50: „Laica auctoritas habet per se jus praesentandi „Episcopos, et potest ab illis exigere, ut ineant dioecesium procu„rationem, antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et „apostolicas litteras accipiant."

Prop. 51: „Immo laicum gubernium habet jus deponendi ab „exercitio pastoralis ministerii Episcopos, neque tenetur obedire „Romano Pontifici in iis, quae episcopatuum respiciunt institutionem."

Prop. 52: „Gubernium potest suo jure immutare aetatem ab „Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum „professione, omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem „sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant."

Prop. 53: „Abrogandae sunt leges, quae ad religiosarum „familiarum statum tutandum, earumque jura et officia pertinent; „immo potest civile gubernium iis omnibus auxilium praestare, qui „a suscepto religiosae vitae instituto deficere ac solemnia vota „frangere velint; pariterque potest religiosas easdem familias „perinde ac collegiatas ecclesias et beneficia simplicia etiam juris „patronatus penitus extinguere, illorumque bona et reditus civilis „potestatis administrationi et arbitrio subjicere et vindicare."

5. Sicut Syllabus, sic et Encyclica „Quanta cura" Pii Papae IX. d. 8. Dec. 1864 vindicat libertatem Ecclesiae adversus Statuum oppressiones.

„At vero alii", ait Summus Pontifex, „instaurantes prava ac „toties damnata novatorum commenta, insigni impudentia audent,

„Ecclesiae et hujus Apostolicae Sedis supremam auctoritatem a „Christo Domino ei tributam civilis auctoritatis arbitrio subjicere, „et omnia ejusdem Ecclesiae et Sedis jura denegare circa ea, quae „ad exteriorem ordinem pertinent. Namque ipsos minime pudet „affirmare, „„Ecclesiae leges non obligare in conscientia, nisi cum „„promulgantur a civili potestate; acta et decreta Romanorum „„Pontificum ad religionem et Ecclesiam spectantia indigere sanc- „„tione et approbatione, vel minimum assensu potestatis civilis; „„constitutiones Apostolicas [1]), quibus damnantur clandestinae socie- „„tates, sive in eis exigatur, sive non exigatur juramentum de „„secreto servando, earumque asseclae et fautores anathemate „„multentur, nullam habere vim in illis orbis regionibus, ubi ejus- „„modi aggregationes tolerantur a civili gubernio, excommunica- „„tionem a concilio Tridentino et Romanis Pontificibus latam in „„eos, qui jura possessionesque Ecclesiae invadunt et usurpant, niti „„confusione ordinis spiritualis, ordinisque civilis ac politici ad „„mundanum dumtaxat bonum prosequendum; Ecclesiam nihil debere „„decernere, quod obstringere possit fidelium conscientias in ordine „„ad usum rerum temporalium; Ecclesiae jus non competere violatores „„legum suarum poenis temporalibus coercendi; conforme esse „„sacrae theologiae jurisque publici principiis, bonorum proprietatem, „„quae ab Ecclesiis, a familiis religiosis, aliisque locis piis possi- „„dentur, civili gubernio asserere et vindicare.““ Neque erubescunt „palam publiceque profiteri haereticorum effatum et principium, ex „quo tot perversae oriuntur sententiae atque errores. Dictitant „enim „„Ecclesiasticam potestatem non esse jure divino distinctam „„et independentem a potestate civili, neque ejusmodi distinc- „„tionem et independentiam servari posse, quin ab Ecclesia „„invadantur et usurpentur essentialia jura potestatis civilis.““ Atque „silentio praeterire non possumus eorum audaciam, qui sanam non „sustinentes doctrinam contendunt „„illis Apostolicae Sedis judiciis „„et decretis, quorum objectum ad bonum generale Ecclesiae ejus- „„demque jura ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei „„morumque dogmata non attingant, posseassensum et obedientiam „„detrectari absque peccato et absque ulla catholicae professionis „„jactura.““ Quod quidem quantopere adversetur catholico

1) Clement. XII. „In eminenti“; Bened. XIV. „Providas Romanorum“; Pii VII. „Ecclesiam“; Leonis XII. „Quo graviora“.

„dogmati plenae potestatis Romano Pontifici ab ipso Christo „Domino divinitus collatae universalem pascendi, regendi et guber„nandi Ecclesiam, nemo est qui non clare aperteque videat et „intelligat.“ [1])

6. Concludimus, jus illud circa sacra, seu dependentiam Ecclesiae a Statu non esse probatum, non posse probari, esse nullum. Gubernia autem civilia, quo magis jus istud putatitium, vinciendo Ecclesiam, sibi vindicarunt, eo magis nocuerunt bono publico et imprimis religioni. Qua in re maximam existimamus sitam esse rationem, cur regna quaedam catholica, olim praepotentia, v. g. Hispania et Lusitania, in eum statum pervenerint, quo nunc sunt.

3. Potestas Ecclesiae directa et indirecta.

1. Constat igitur, hegemoniam in universo ordine sociali deberi Ecclesiae; ipsi aliquatenus subjici et potestates civiles, Ecclesiam autem nullatenus subesse Statibus.

Jam videndum accuratius est, qualis sit illa potestas Ecclesiae super Status. Quam ad rem ponamus hoc axioma:

Ecclesia etiam relate ad Status potest ligare et solvere, quodcunque ut ligare et solvere possit, officium ipsius rationabiliter requirit.

Vel magis etiam expresse:

Status subsunt Ecclesiae: directe in rebus religiosis, indirecte in rebus profanis, quatenus et hae ad religionem referuntur. [2])

Ostendamus exemplis! Directe potest Ecclesia Statum obligare, ut dies dominicales et festos servet; indirecte potest vetare, ne opera servilia peragantur hisce diebus; parochos, quos directe Ecclesia obligat ad habitandum in parochia sua, indirecte potest eximere a potestate civili, quae eos ad militiam conscribere vellet; directe potest Ecclesia punire ob crimina ecclesiastica; indirecte potest ad puniendа ista crimina mulctas in bonis temporalibus imponere; directe potest poenitentiam exigere, indirecte abstinentiam a carne et jejunium imperare; et sic in aliis rebus, ut erga singulos homines, ita et erga Status et Principes.

1) Cf. Encycl. „Immortale Dei“ n. 18. 21. 22. 45. 47. 49.

2) Cf. Encycl. „Immortale Dei“ n. 27.

Itaque magna potestas Ecclesiae est; illimitata non est, neque unquam (id quod Status haud raro fecerunt) potestatem omni limite carentem sibi vindicavit.

2. Sed quaenam res sunt mere spirituales, ita ut directe subsint Ecclesiae? Quaenam sunt mere temporales, ut nullatenus subsint Ecclesiae? Quaenam sunt mixtae, ita ut indirecte, seu in quantum spirituales sunt, Ecclesiae potestati subjiciantur?

Patet, non posse plenam enumerationem harum rerum fieri, praesertim, quum multa pendeant ex temporum atque locorum conditionibus. Devotiones publicae v. g. pertinent per se ad res mere spirituales, quamvis aliquem saepe admixtum habeant respectum ad res temporales. Res militaris contra per se est res temporalis, sed per accidens potest induere respectum ad religionem, et Ecclesiam movere, ut se immisceat, v. g. si mores militum corrumpantur.

His praenotatis videamus tamen aliqua, quae generatim loquendo his ordinibus adnumerari possunt.

a. Ad res mere ecclesiasticas seu spirituales spectat: clericorum institutio, examen, ad certa officia ecclesiastica deputatio; cultus divinus, sive intra, sive extra ecclesiarum muros, hinc et piae peregrinationes; dies festi et jejunii, eorumque observatio vel abrogatio; disciplina ecclesiastica tum clericorum, tum laicorum; bona ecclesiastica eorumque administratio; ordines religiosi et congregationes etc.

Protestanticum esset, solum res internas seu invisibiles Ecclesiae vindicare, quum ipsa Ecclesia a Christo sit fundata, ut esset institutum visibile ad homines visibiles dirigendos et visibilibus sacramentis in coelum perducendos.

b. Res mere civiles sunt: constitutio magistratuum civilium, quamvis Ecclesia exigere possit, ne homines, quorum fides vel mores suspecti sint, eligantur; res militaris; bona externa Statuum etc.

c. Ad res mixtas pertinet imprimis finium regendorum inter Ecclesiam et Statum cura; quamvis hic potissimum Ecclesiae hegemonia eluceat, quum ipsius sit, in rebus dubiis vi magisterii a Christo accepti docere, quid Ecclesiae sit et quid Statuum. Solet tamen his in rebus Ecclesia compositionem amicalem eligere potius, quam agere vi potestatis indirectae, quae ei competit in res, in quantum habent respectum spiritualem. Atque adeo in

rebus mere ecclesiasticis, v. g. in Episcoporum nominationibus, ad majora mala praecavenda saepe coacta est res bono modo componere cum auctoritate civili.

Scholae publicae tum ab Ecclesia tum a potestate civili institui possunt. Ipsarum directio generatim pertinet ad eum, qui scholam fundavit et curat. Hinc scholae ab Ecclesia fundatae res mere ecclesiasticae sunt (quamvis Status saepissime de facto eas Ecclesiae eripuerit easve suppresserit); scholae autem a gubernio civili fundatae aliquatenus sunt res mixtae, quia instructio religiosa et suprema auctoritas in rebus fidei et morum semper spectat ad Ecclesiam.

3. Itaque possumus prospectum totius aedificii socialis christiani fere his dare verbis: Caput supremum ordinis socialis est Ecclesia; ergo illa est prorsus independens a quavis auctoritate humana. Status directe pendent ab ipsa in rebus spiritualibus, indirecte in iis temporalibus, quae habent respectum ad religionem, seu in rebus mixtis. Independentes vero sunt Status in rebus mere temporalibus.[1])

Sponte hic oritur quaestio: Cur induxit Christus dualismum hunc, ut duae auctoritates supremae societatem christianam regerent? Cur non omnia tradidit Petro, etiam res mere temporales? Vel cur non Imperatorem Romanum, vel saltem Principem aliquem christianum constituit caput Ecclesiae?

Ad primum (i. e. cur non Petro et Ecclesiae tradiderit simpliciter res mere temporales) videtur nobis sic esse respondendum: Potestas Statuum non erat in se mala; fluit enim ex natura humana. Sed deviaverat in rebus religiosis. Hinc Christus non simpliciter Statuum potestatem de medio sustulit, sed res civiles eis reliquit; res autem religiosas novo regno a se instituendo tradidit. Accedit ratio practica, quod rerum omnium civilium toto orbe terrarum cura Ecclesiam curis saecularibus nimium implicasset.

Ad secundum (cur non Principem aliquem caput Ecclesiae constituerit) sic nobis videtur respondendum: Haec rerum dispositio Caesaropapismum induxisset, qualem e. g. cum maximo religionis detrimento in Russia videmus, ubi religio eo deprimitur, ut fere nihil sit nisi medium ad auctoritatem saecularem augendam; fit ancilla, quum debeat esse domina.

1) Encycl. „Immortale Dei“ n. 24.

Caeterum sufficit nobis, dualismum, qui est, introductum esse a Christo; neque nostrum est, inquirere, melius necne fuerit, alium inducere ordinem. Verum haberi simul cum natura religionis christianae istum dualismum hoc vel ipse juris peritus von Roenne Protestans Borussicus confitetur, quum ait:

„Ecclesia distinguitur a Statu ex objecto, fine et modo agendi „*(nach Gegenstand, Zweck und Wirksamkeit)*; ideo communis „populorum christianorum ordo Statum et Ecclesiam habet tan„quam duas societates omnino independentes *(als zweierlei wesent„lich selbständige Gemeinschaften)* . . . Adhuc Romani jus sacrum „habebant pro juris publici parte. Christiana demum religio id „effecit, ut Ecclesia, religiosa hominum societas, independens „juxta Statuum societatem politicam poneretur.“ [1])

4. Systema igitur, cui adhaeremus, est systema potestatis indirectae Ecclesiae in res temporales Statuum. Etenim quum inter Catholicos constet, superioritatem aliquam super Status Ecclesiae deberi, tamen accuratius determinando, qualis sit haec superioritas, in tres diversas abeunt sententias. Nam praeter systema potestatis indirectae habetur et systema potestatis directae, quae plus juris tribuit Ecclesiae quam nos, et systema potestatis mere directivae, quae minus tribuit.[2])

Atque systema potestatis indirectae esse verum, satis jam constat ex multis argumentis, quae hucusque attulimus, v. g. ex nota Cardinalis Antonelli (cf. p. 119). Sed magis etiam clarebit ex refutatione utriusque sententiae oppositae.

5. Systema potestatis directae res etiam temporales Statuum simpliciter et directe subjicit Ecclesiae, sicut ei subjectae sunt res spirituales. Haec sententia nunquam multos habuit fautores. Ipse Innocentius Papa III., quem nimiae elationis potestatis ecclesiasticae arguere solent, eam in Decretali „Per venerabilem“ (1202) rejicit, qua causam Guilelmi Comitis de Montpellier decidit. Guilelmus rogaverat, ut Summus Pontifex filios illegitimos ipsius redderet legitimos. Respondet Innocentius III., hoc non suum esse, sed regis Galliae, quum agatur de re temporali et in temporalibus Comes Guilelmus subsit regi Galliae.

1) v. Roenne, das Staatsrecht der preussischen Monarchie, Lipsiae 1882, t. 2. p. 370.

2) Quaestiones historicas hac de re vide fusius ap. Hergenroether, „Kath. Kirche“ pag. 421 seqq.

Simili modo loquitur Innocentius III. ad Episcopos Galliae in Decretali „Novit" (1204), cujus summam Cardinalis Hergenroether hisce effert verbis: „Directe judicat Ecclesia „de lege morali violata, indirecte de rebus temporalibus, quae „connexae sunt. Executio sententiae curiae feudalis Galliae, ipsaque „sententia, directe non spectat Papam, sed graves violationes „legis moralis subduntur judicio capitis Ecclesiae, cujus est, „poenas spirituales infligere contemptoribus. Haec est potestas „non ab hominibus, sed a Deo collata, potestas scilicet ligandi „atque solvendi Petro data, quae omnes christianos sine per„sonarum acceptione comprehendit, cui et reges subditi sunt, „idque eo magis, quod altiorem se praeter eam non habent." [1])

Bene attendatur, hanc Decretalem, quum recepta sit in Corpus juris canonici, vim legis accepisse non solum in Ecclesia, sed etiam in potissimis, qui tunc erant Statibus. Miram igitur ignorantiam prodit Hinschius, vir ceteroquin inter juris peritos protestantes primarius, quum dicit, „theoriam debilitatam *(abgeschwächte)* potestatis indirectae primum ex saeculo XVI. exeunte „et saeculo XVII. esse in formam redactam *(formulirt worden)*." [2])

Eodem modo, quo saeculo XIII. Innocentius III., saeculo XIX. Leo Papa XIII. rejicit potestatem directam Ecclesiae super Status in rebus temporalibus, quum has res „ad supremum" imperium Principum (scil. saecularium) pertinere docet. Nam: „quae in genere „rerum civilium versantur, ea in potestate supremoque imperio „eorum (Principum) esse agnoscit et declarat." [3])

Itaque quum evidens sit, hanc directam Ecclesiae potestatem non esse admittendam, non diutius hac in re moramur.

6. Nec minus rejiciendum est systema potestatis mere directivae, quod, systemate directae potestatis nimium tribuente, non satis tribuit Ecclesiae. Vult enim ei, ut verba sonant, mere directivam, non coactivam potestatem concedere in rebus temporalibus. Hinc Ecclesia posset monere Statum, v. g. ut ipsi praestaret brachium saeculare, ut a bello injusto abstineret, sed

1) Hergenroether l. c. pag. 405.

2) Hinschius, „Staat und Kirche", Friburgae et Tuebingae 1883 pag. 216. — Idem (pag. 214) supponit theoriae „hierocraticae" (i. e. catholicae) absurdam sententiam: „Status, quia est originis terrenae, est per se regnum peccati."

3) Leonis XIII. Encyclica „Diuturnum" d. 29. Junii 1881. — Cf. Encycl. „Immortale Dei" n. 24.

censuris ecclesiasticis cogere non posset. Esset igitur, si ita fas est dicere, jus, quod non esset jus: careret enim nota omni juri omnino essentiali, i. e. coactibilitate, ut ajunt. Quid plura? Nequicquam enervare student argumenta, quae pro potestate vere juridica hucusque attulimus, imprimis vim verborum Christi ad Petrum: „Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis etc.“

Merito igitur haec potestas mere directiva videtur damnata esse a Pio Papa IX., quum Syllabus propositione 24. rejiciat sententiam: „Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, „neque potestatem ullam temporalem directam vel „indirectam.“ Nam si vis inferendae potestas Ecclesiae inest, potestas ejus non est mere directiva; et si potestatem habet in temporalia aut directam aut indirectam, saltem indirecta, et non mere directiva, dicenda est potestas ipsius.

Caeterum Pius Papa VI. similiter jam locutus est in bulla „Auctorem fidei“: Joannes vero XXII. (1316—1334) in bulla dogmatica „Licet juxta“ dicit: „Corporalis est a Christo coactio „Ecclesiae permissa“, quam accepit „originaliter non ab Impera„tore, sed ab ipso Christo.“

7. Itaque constat, relationem juridicam inter Ecclesiam et Statum eam esse: a) ut Ecclesia nullatenus subsit Statibus, b) ut Status sint sub potestate directa Ecclesiae in rebus spiritualibus, et c) sub potestate indirecta in temporalibus, d) ut sint independentes in mere temporalibus.

8. Attamen priusquam accuratius ad singularia descendamus, exponendum nobis est discrimen inter duplicem Ecclesiae potestatem: potestatem ordinis et jurisdictionis. Dicamus igitur:

a. Potestas ordinis est potestas quasi physica, effectum aliquem producendi, infundendi v. g. gratiam sanctificantem per impositionem manuum. Potestas jurisdictionis est potestas juridica, v. g. nominandi parochos. Hinc potestas ordinis comparari potest arti pingendi, in qua ordo juridicus nullatenus intercedit; potestas jurisdictionis comparanda esset potestati, quae pictori dat licentiam exercendi artem suam.

b. In actibus potestatis ordinis (v. g. in danda gratia sanctificante per baptismum, in consecranda hostia) principaliter agit Deus; nam effectus producendus vim hominis superat; homo agit tantum quasi instrumentum Dei.

In actibus potestatis jurisdictionis (v. g. in danda licentia ad baptizandum, ad missam celebrandam, ad praedicandum) principaliter homo agit, licet mediate vel immediate ex mandato Dei; actio enim non excedit vim humanam. Denique:

c. Potestas ordinis ab hierarchia ordinis (ab Episcopis, Presbyteris, Diaconis etc.) exercetur; potestas jurisdictionis ab hierarchia jurisdictionis (a Summo Pontifice, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Parochis, Sacellanis).

Ex modo dictis sequitur, de sola potestate jurisdictionis nobis agendum esse, quum de relationibus juridicis inter Ecclesiam et Statum agitur. Nam potestas ordinis non majorem relationem juridicam ad Statum habet, quam facultas bene pingendi. Accuratius igitur potestas jurisdictionis nobis inspicienda est, tum in genere, tum in singulis partibus.

4. Potestas jurisdictionis Ecclesiae, spectata relate ad Statum.

a. In genere.

1. Potestas jurisdictionis ecclesiasticae est duplex: fori externi et interni. Potestas jurisdictionis in foro externo est vinculum illud sociale, quod corpus visibile Ecclesiae per potestatem Superiorum jubendi et per obligationem subditorum obediendi in unum conjungit. Eundem locum obtinet in Ecclesia, quem in Statu obtinet potestas Statuum generatim. Deest enim Statibus potestas ordinis, ita ut tota potestas Statuum potestate jurisdictionis absolvatur; deest Statibus etiam maxima ex parte potestas jurisdictionis fori interni, ita ut tota fere potestas Statuum absolvatur potestate jurisdictionis in foro externo.

Sicut potestas Statuum dividitur in legislativam, judicialem, executivam, ita potestas jurisdictionis Ecclesiae in fore externo in easdem partes dispescitur.[1]) Systema juris civilis Statuum complectitur: jus publicum, jus criminale, jus privatum, jus processuale: easdem systema juris ecclesiastici habet partes.

Atque ad jus publicum Ecclesiae spectat tota officialium ejus constitutio, a juribus et electione Summi Pontificis usque ad jura et nominationem parochorum et sacellanorum, sive nominatio jure ordinario fit, sive jure patronatus.

1) Cf. Encycl. „Immortale Dei" n. 10.

Jus criminale constituitur legibus, quibus Ecclesia poenas statuit criminibus, v. g. poenam excommunicationis, suspensionis, interdicti.

Jus privatum complectitur normas, quas Ecclesia relationibus singulorum inter se posuit, v. g. in jure matrimoniali et quoad bona externa. Notandum enim est, personas ecclesiasticas, tum physicas (i. e. clericos), tum morales (v. g. paroecias, monasteria) immunes esse a legibus civilibus Statuum, de qua re postea fusius dicemus. Attamen indigent legibus, quae rerum dominium, contractus, hereditates, aliaque id genus ordinent. Hinc Ecclesiae erat, de ejusmodi legibus providere. Quod ut faceret, jus Romanum, in nonnullis rebus mutatum, adoptavit; unde factum est, ut clerus ubique terrarum viveret secundum jus Romanum.

Sed quum Ecclesiae immunitas multis in rebus sit violata, etiam hac in re saepe juri singulorum regnorum se conformare cogebatur.

Denique Ecclesia, sicut Status, certas suas normas procedendi tum in causis ordinariis, tum in extraordinariis habet, v. g. in causis matrimonialibus et canonizationis Sanctorum.

2. Quae modo diximus, potissimum de jurisdictione in foro externo valent. Jurisdictio contra in foro interno non adeo spectat Ecclesiam ut corpus sociale externum ad instar Statuum, sed spectat singulas animas in relatione ad Deum. Praecipua pars hujus jurisdictionis internae est jurisdictio in foro poenitentiali, vi cujus per sacramentum poenitentiae peccata remittuntur. Hujus jurisdictionis poenitentialis in Statibus non habetur analogon; jurisdictionis in foro interno aliqua adest analogia in Statuum potestate, supplendi locum parentum iis infantibus, quorum parentes defuncti sunt.

Jam ut melius perspiciamus, quomodo tres illae jurisdictiones se habeant: jurisdictio in foro interno, jurisdictio ecclesiastica in foro externo et jurisdictio civilis, ponamus aliquem commisisse duellum. Commisit ille quidem primo peccatum in foro interno, quod, nisi in hac vita poenitentia ablatum fuerit, in altera a Deo punietur. Commisit dein simul crimen ecclesiasticum in foro externo, quod excommunicatione punitur. Commisit postremo crimen civile, quod saltem in plurimis regionibus etiam a potestate civili poena plectitur. Hoc crimen sub uno respectu puniri potest, quum sub altero jam sit condonatum.

Quod si potestatem jurisdictionis Statuum propter inferiorem finem potestati Ecclesiae subordinatam esse dicimus, hoc de potestate illius tum in foro externo tum in foro interno valet.

3. Si percurramus singulas juris partes, Ecclesia se habet ad Status modo hoc:

In jure publico Papa, quia Papa est (non tantum quia rex territorii sui saecularis, sed quia caput Ecclesiae est), debet agnosci ut monarcha *(Souverain)*, cujus regnum tam late pateat quam Ecclesia, „qui dominetur a mari usque ad mare", qui toto orbe terrarum res ecclesiasticas absoluta independentia ordinet, qui relate ad singulos Status potestatem indirectam in temporalia exerceat, qui idcirco omnes reges et imperatores honore praecedat. Ipsa Borussia, postquam haec potestas Summi Pontificis per leges, quas vocant Majas, negata erat, postea constantia Catholicorum Germaniae denuo eam agnoscere cogebatur; quum legatum mitteret ad Sedem Apostolicam.

Sic scripseramus in editione nostra Germanica. Sed hoc Berolini videtur iram movisse. Folium enim diurnale „Die Norddeutsche allgemeine Zeitung", Principis Bismarckii quasi organon, scribit: „Novimus in Borussia tantum unam supremam „potestatem *(nur eine einzige Souverainität)*." Vult igitur negare, in spiritualibus Summo Pontifici competere supremam potestatem in Borussiam. Addit, quod miram prodit notitiam historiae: „Papa „jura supremae cujusdam potestatis habuit, quamdiu Status tem„poralis Ecclesiae erat; fuit monarcha ut Princeps saecularis. „Alia suprema Summi Pontificis potestas nunquam erat."[1]) Adjicit aliud folium Berolinense, Bismarckio pariter deditissimum *(Die Grenzboten)*: „Ecclesia, qua talis, nunquam a potestatibus saecu„laribus ut potestas quaedam suprema (*souverain*) agnita est."

Sed ex quo tempore, quaeso, legati ad homines mittuntur, qui fuerunt reges, non jam sunt? Num et Nuntius Summi Pontificis ideo habet praecedentiam inter caeteros legatos, quia missus est ab eo, qui quondam erat Princeps parvi alicujus territorii temporalis in Italia? Utrum Papa egit ut rex hujus territorii, an ut caput Ecclesiae, quum in Anglia, Dania, Gallia, Germania, Hispania, Suecia atque adeo in Mexico et Indiis universitates erexit et privilegiis ornavit?

1) Norddeutsche allgemeine Zeitung vom 23. Januar 1884. Abendbl.

Sed feliciter ipsum folium Bismarckicum, supra nominatum, opportunum ducebat, postea paulo aliter cantare, quum scripsit: „Papa est et remanet monarcha *(souverain)*, et quidem pro omnium „Principum catholicorum curiis est primus et summus monarcha. „Etiam sine territorio temporali haec proprietas ei remanet.“ [1])

4. In jure criminali utique potestas Ecclesiae in Status rarius locum executionis invenit. Nam Status sunt personae morales, personae autem morales stricte loquendo crimina committere non possunt. Sed si paulo latius intelligamus naturam criminis et poenae, Ecclesiae potestas puniendi in integros Status exerceri potest et exercita est per Interdictum.

Plenam demum applicationem habet potestas criminalis Ecclesiae in personis physicis, et quidem in iis omnibus, quae per baptismum factae sunt oves gregis Christi, ideoque subditae Ecclesiae. Hoc in foro tum interno tum externo valet; in foro interno, quia omnes, si usum rationis habent, sacramentum poenitentiae recipere possunt; in foro externo, quia eodem modo omnes baptizati ei subjiciuntur. Poenae ab Ecclesia infligendae non restringuntur ad actus internos ejus, qui puniendus est, restringuntur ne in interno quidem foro; possunt enim, ut sit poenitentia, orationes vocales, jejunia, eleemosynae imponi. Multo minus poenae in foro ecclesiastico externo restringuntur ad actus internos et invisibiles. Hoc unum tamen semper attendatur necesse est, ne poena gravitatem criminis excedat. Quod si observetur, poterunt ut poenae imponi privationes bonorum externorum, honorum, aliorumve id genus. Quapropter Pius IX. proscripsit sententiam: „Ecclesiae „jus non competere, violatores legum suarum poenis temporalibus „coercendi.“ [2]) Concilium pariter Tridentinum confiscationem omnium bonorum poenam statuit duelli[3]); aliaque Concilia varias poenas temporales in personas cujusvis dignitatis et auctoritatis statuerunt[4]), sola auctoritate Summi Pontificis excepta. Poenae mortis utique non invenimus exemplum, non quod Ecclesiae non sit jus, morte plectendi (cur enim non esset, quum Statui competat hoc jus?); sed quia minus congruit mansuetudini Ecclesiae, morte quemquam punire.

1) Grenzboten II. 1884, pag. 203.

2) Pii IX. Encycl. „Quanta cura“ 8. Dec. 1864.

3) Trident. S. 25. de ref. cap. 19.

4) Documenta vide ap. Hergenroether, „Kath. Kirche“ pag. 48 seqq.

Objicies forte, Ecclesiam non posse eripere, quod non dedit; non autem dedit bona temporalia sive externa, sive honores, sive ipsam vitam. Ergo non potest illis privare.

Ad quod facile respondetur: Neque Status bona fortunae vel vitam concessit, et tamen potest confiscatione bonorum et ipsa morte punire. Ergo certum est, rationem allatam non probare. Atque ideo non probat, quia tum Ecclesia tum Status ex auctoritate Dei puniunt. Deus autem omnia illa bona concessit; Dei ergo auctoritate possunt eripi.

Objectio utique valet contra atheos, qui sine recursu ad Deum omnem juris rationem explicare volunt. Isti certissime non poterunt explicare, qua ratione sive Statui sive Ecclesiae liceat eripere mihi bona, quae non concessit. Sed quum nemo sanae mentis dubitet, Statui licitum esse, poenas ejusmodi subditis suis infligere, novam hac in re invenimus rationem rejiciendi atheam istam juris prudentiam.

5. Quaenam relationes inter Ecclesiam et Statum intercedant in materia juris privati, infra accuratius discutiemus. Interim illud tantum denuo moneamus, hac quoque in re Ecclesiae esse partes superiores, Statuum inferiores. Ideo Ecclesia mutavit juris Romani dispositionem, quod bona fides possidentis pro initio tantum possessionis, non pro toto ejus tempore ad praescribendum requiratur. Quare non dubitamus, quin Ecclesia possit abolere legem Codicis civilis Gallici: „La recherche de la paternité est interdite." Funestissima enim est lex morum integritati, quod celeberrimus Le Play optime ostendit.

6. Sic et leges civiles, quae modum procedendi judicialem ordinant, indirecte subsunt Ecclesiae, ita ut possit v. g. cohibere nimiam in juramentis exigendis levitatem. Sic etiam potestas executiva Statuum subest Ecclesiae, quum stricto jure, et non mera benevolentia, exigere possit auxilium brachii saecularis. Unde et Concilium Tridentinum ex parte sanctae obedientiae omnibus regibus aliisque magistratibus praescripsit, ut Episcopos et Abbates, quoties requirant, in disciplina regulari monasteriorum curanda juvent.[1])

7. Iterum igitur atque iterum incidimus in potestatem indirectam Ecclesiae super Status in rebus temporalibus. Verum quidem est:

1) Trident. Sess. 25. cap. 22. de Regular. in fine.

parum reapse haec potestas Ecclesiae a guberniis civilibus agnoscitur; imo tanquam rem, quae ne probatione quidem indigeat, fere semper assumunt, Ecclesiam subjectam esse Statibus eorumque legibus. Sed haec juris violatio, etiamsi communissime et saepissime committitur, nunquam constituit jus; Ecclesia de jure semper mater et domina remanet, non est ancilla.

Sed jam ad singulas partes jurisdictionis ecclesiasticae ejusdemque relationes ad jurisdictionem civilem, seu ad Status, descendamus.

b. Magisterium Ecclesiae.

1. Christo inerat triplex illud munus: sacerdotis, prophetae, regis. Similiter et Ecclesiae inest triplex potestas: sacerdotii, magisterii, imperii. Quare magni canonistae secundum triplicem hanc potestatem systema juris canonici diviserunt, et Moulart, quem nominavimus, opus suum de Ecclesia et Statu ex eodem hoc capite partitur.

Longissime absumus a neganda una ex tribus istis potestatibus. Nihilominus pro certo habemus, magisterium non esse nisi partem imperii, ita ut tres illae potestates melius ad duas revocentur, quas jam memoravimus: potestatem ordinis et potestatem jurisdictionis. Potestas ordinis respondet sacerdotio. Potestas jurisdictionis, si ejus auctoritas interponitur ad docendum, magisterium vocatur; si interponitur ad alias res imperandas, nominatur imperium. Unde id efficitur, ut magisterium Ecclesiae appareat auctoritativum, cui subjectio debeatur, si quid doceat et credendum praecipiat, etiamsi rationes, cur res ita se habeat, non perspiciantur; imperando enim exercetur, quum sit imperii pars. Magisterium contra, quale generatim inter homines habetur, v. g. magisterium Socratis vel Platonis, non est auctoritativum, sed admittere cogitur illud: „Tantum vales, quantum probas.“

Obedientia autem judicii, quam exigit magisterium Ecclesiae, ne appareat imprudens, retineatur illud: prudentis esse credere, quidquid Deus revelavit (v. g. Trinitatem), etiamsi rationes non intelligat; prudentis pariter esse credere, quidquid credendum illa praecipit auctoritas, quam Deus ad docendos populos constituit, quamque ideo dono infallibilitatis instruxit; prudentis denique esse, judicium suum doctrinae illorum submittere, quibus Christus dixit:

„Qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, spernit eum, „qui misit me." [1])

Caeterum nemo Catholicus jam in dubium vocare potest, magisterium Ecclesiae praecipiendo et imperando exerceri, ac proinde magisterium esse partem imperii seu potestatis jurisdictionis. Ait enim Concilium Vaticanum: „Docemus proinde et declaramus.... „hanc Romani Pontificis jurisdictionis potestatem ... immediatam esse: erga quam cujuscunque ritus et dignitatis pastores „atque fideles, tam seorsum singuli, quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur, non „solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae „ad disciplinam ... pertinent; ita ut custodita cum Romano Pontifice „tam communionis quam ejusdem fidei professionis unitate, „Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Haec „est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque „salute nemo potest." [2]) Unde elucet, magisterium, quod Ecclesia exercet praecipiendo certam fidem, a potestate jurisdictionis seu ab imperio (latius sumpto) procedere, ita ut summa potestatis ecclesiasticae divisio non sit divisio in sacerdotium, imperium, magisterium, sed in potestatem ordinis et jurisdictionis.

2. Objectum hujus magisterii sunt directe veritates religiosae (quae fidem et mores spectant), indirecte etiam veritates profanae, quantum hae relationem quandam ad veritates religiosas induunt. Habemus igitur et hic rursum, quod generatim de potestate Ecclesiae valet: directe ipsi subesse res spirituales, indirecte res temporales.

Veritates profanae vario modo ita ad religionem referri possunt, ut et ipsae sub magisterium Ecclesiae cadant. Primo ut conditio praerequisita ad fidem. Hac ratione potest Ecclesia rejicere systema philosophicum Kantii, quo omnis prorsus certitudo, hinc et certitudo de religione, e medio tollitur. Similiter praeter alias ob hanc quoque rationem potuit rejicere et rationalismum et materialismum, pantheismum et atheismum.

Dein potest esse, ut veritates quaedam ad ethicam naturalem spectantes non quidem explicite in revelatione christiana contineantur, sed nihilominus ad magisterium spectent Ecclesiae,

1) Luc. 10, 16.

2) C. „Pastor aeternus" d. 18. Julii 1870 cap. 3.

cujus est doctrinam de moribus proponere. Huc potest forte revocari, quod duellum ab Ecclesia declaratur prohibitum.

Postremo evenire potest, ut e scientiis profanis falsae quaedam conclusiones deducantur, quae cum religione christiana pugnent, ideoque, ne fides detrimentum capiat, a magisterio Ecclesiae damnandae sunt. Exemplum habes eam doctrinam, quae olim unitatem generis humani specificam et descendentiam ab iisdem parentibus negabat, ideoque doctrinae de peccato originali adversabatur; vel in istis vesaniis, quae nunc e contrario hominem a simia vel ab ipsis plantis derivant et ejusdem esse speciei volunt cum bestiis et herbis.

Itaque haec omnia et similia indirecte magisterio Ecclesiae, in quantum relationem quandam ad fidem et mores exhibent, subesse possunt. Quod non obstat, quin sub alio respectu, utpote directe revelatae, simul et directe subsint.

3. Quodsi quaeras, qualis ille actus magisterii ecclesiastici esse debeat, cui obedientia debeatur, dicendum est: non tantum sententiae definitivae, hinc infallibili, qua omnes ad credendum obligantur, obtemperandum esse; sed etiam aliis decisionibus, saltem in externo agendi modo, obediendum esse. Hoc enim ex officio Ecclesiae, pascendi gregem Christi, fluit. Fac v. g. proferri ab aliquo professore vel concionatore vel scriptore doctrinam aliquam, quae suspicionem moveat, non posse eam cum doctrina catholica sociari; suspicionem autem hanc, quum agatur de re valde difficili, non posse illico de medio tolli sive refutando doctrinam sive eam cum fide sociando. Quid igitur faciat Ecclesia? Sententiam definitivam, hinc infallibilem, non potest proferre; attamen saltem periculum timendum erit, si doctrina illa latius spargatur. Itaque poterit prohibere, ne interim ista doctrina publice proferatur, donec melius sit probata. Unde sequitur, ut scriptor ille vel professor vel concionator interim debeat abstinere a doctrina illa proferenda, ne perturbationes in Ecclesia oriantur, neve damnum bono publico inferatur. Huc et aliquo modo referri videtur sententia, quam damnavit Pius IX.: „Obligatio, qua „catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarc„tatur in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae judicio veluti „fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.“ [1])

4. Porro si quaeras, quinam magisterio Ecclesiae sub-

1) Syllabus 22.

jiciantur, respondemus: non tantum singulos, sed et familias et Status illi subesse. Missi enim sunt Apostoli, ut docerent „omnes gentes“; et dum Christus eis dat potestatem ligandi atque solvendi „quaecunque“, non distinguit inter singulos et nationes universas earumque auctoritates civiles. Rex igitur ut rex, Status ut Status magisterium Ecclesiae agnoscere et sequi debet.

Quod principium varias habet applicationes. Tres paullo accuratius inspiciamus: instructionis publicae rationem, modum finium regendorum inter Ecclesiam et Statum, casus conscientiae in rebus publicis civilibus occurrentes.

5. Sequitur ex dictis, omnes Statuum scholas subesse Ecclesiae, et quidem directe in rebus religiosis, indirecte, quod instructionem profanam spectat; scholas vero Ecclesiae (v. g. eas, quas Congregationes religiosae ecclesiastica auctoritate habent) nullatenus subesse Statui ejusque officialibus.

Itaque ut rectam juridicam relationem hac in re accipiamus, eum ordinem fere invertere debemus, qui vi physica nunc plerumque a gubernio civili invectus est: Status in suis scholis nullam Ecclesiae superioritatem agnoscit; ipse autem Ecclesiae scholas suo arbitrio subjicit, et quidem directe in rebus profanis, indirecte in rebus religiosis propter connexionem, quam cum rebus profanis, v. g. cum sensu nationali, habent. Inverso igitur hoc ordine directe subsunt omnes Statuum scholae supremae Ecclesiae potestati in rebus religiosis; ipsa enim missa est, ut doceret omnes gentes; indirecte subsunt in rebus profanis, quum hae rebus religiosis, utpote potioribus, subordinari debeant, non viceversa; prorsus autem liberae a gubernii civilis immixtione sunt omnes scholae ecclesiasticae.

Unde sequitur, instructionem religiosam in nulla Statuum schola legitime dari posse sine missione canonica, ab Ecclesia ei concessa, qui docet. Unde porro sequitur, jure nullos adhiberi posse, etiam in rebus profanis, magistros vel libros, quos Ecclesia utpote fidei vel bonis moribus nocivos vel periculosos rejicit. Unde postremo sequitur, Statui non licere visitare scholas Ecclesiae, nec certos eis libros, vel certum ordinem aliave ejusmodi praecipere.

Scimus equidem bene, quam multum absit, ut opinio publica nostris diebus haec sana principia admittat. Non tamen ideo omittimus, etiam atque etiam ea proferre, quum veritati tandem debeatur victoria.

6. Aliam causam, in qua etiam Status magisterio Ecclesiae subjiciuntur, diximus haberi in finibus utriusque potestatis, eorumque inter se relationibus determinandis.

Ac duplicem ob rationem Status in hac re magisterio Ecclesiae subsunt. Primo: Ecclesiae competit morum doctrina; ejus est definire, quid liceat, quid prohibitum sit, quid justitia requirat. Hoc valet in singulis; hinc fideles confessarios suos interrogant, ut accurate officia sua sciant et jura, maximeque ea, de quibus dubitari possit. Hoc valet non minus in fidelium coetibus universis, i. e. in Statibus. Una autem ex quaestionibus hic occurrentibus est ea: quousque jura et officia Statuum erga Ecclesiam se porrigant. Hinc Ecclesiae est, gubernium civile his de rebus instituere, et gubernii est, admittere hanc instructionem auctoritatis illius, quam Deus posuit, ut doceret omnes gentes.

Altera ratio haec est: Ecclesia, utpote a Christo Domino edocta, debet scire, quousque sua ipsius potestas extendatur. Sed officia et jura Statuum sunt plerumque correlativa ad jura et officia Ecclesiae. Hinc et potestas et obligationes Statuum Ecclesiae notae esse debent, et ipsius est, de utriusque potestatis limitibus judicare.

Hoc idem Em. Cardinalis Manning hisce profert verbis: „Spiritualis potestas divina certitudine novit limites propriae jurisdictionis, ideoque et limites et competentiam potestatis Statuum. „Suprema igitur est in rebus religiosis et conscientiae.“ [1])

Sponte se offert objectio: Nemo est bonus judex in propria causa. Ergo Ecclesiae non potest esse, assignare limites et decidere lites inter seipsam et Statum.

Nec tamen minus facile patet responsio: Nemo debet esse judex in propria causa, si alius judex adest. Si vero alius non habetur, evenire potest, ut quis judicare debeat in propria causa. Exemplum habes in ipsorum Statuum litibus civilibus: oriatur v. g. lis inter fiscum (i. e. Statum ut proprietarium) et personam aliquam singularem de re civili, v. g. de fundo aliquo. Quis decidet litem? Nonne judex a Statu institutus? Sed Status tunc judicat in propria causa! Utique. Sed hoc evitari nequit, quum Status sit judex supremus in rebus civilibus, et si ejus judices non admittantur ad litem istam decidendam, nullus aderit judex.

1) Manning, Caesarismus und Ultramontanismus, 1874, p. 15.

Similiter res se habet, si agitur de finibus inter Ecclesiam et Statum regendis, quum tertia potestas altior, cui et Ecclesia et Status subsint, hic in terris non habeatur. Alterutra ex his duabus judex supremus in litibus inter ipsas decidendis esse debebit. Sed quum, si Ecclesiam et Statum inter 'se conferas, Ecclesia sit potestas superior, Status inferior, sequitur necessario, judicium istud ab Ecclesia, nullatenus a Statu esse ferendum.

Et revera, si judex civilis, a Statu positus, inter Statum et civem aliquem judicare potest, cur non poterit Congregatio aliqua Cardinalium judicare de jure patronatus alicujus Status? Vel de eo, quousque se extendat officium Status praestandi auxilium brachii saecularis?

Objicies forte secundo: more amicorum rem esse componendam; opus non esse judice.

Recte tu quidem; hoc Ecclesia maxime optat, ut relationes inter ipsam et Statum pacifice componantur; hoc etiam S. P. Leo XIII. in Encyclica d. 29. Junii 1881, quam supra jam memoravimus, summopere exoptat [1]); hoc ut efficeretur, gravissimas Ecclesia saepe concessiones fecit, Statui res ecclesiasticas donando, eique concedendo nominationes Episcoporum.

Sed mihi dic, si neutra pars cedere velit jure suo, sive vero sive putatitio: putasne Deum ejusmodi instituisse ordinem socialem generis humani, in quo quaestiones gravissimae jure dirimi non possent, sed res juri fortioris, i. e. armis decidenda relinqueretur? Hinc concludendum est, Deum aliquem constituisse ad tales lites decidendas, et vidimus jam, ad hoc constitutam esse Ecclesiam, cujus est, docere omnes gentes.

Utique, reapse dissensiones inter Ecclesiam et Statum plerumque non jure, sed vi physica, i. e. oppressione Ecclesiae deciduntur. Hoc vero provenit ex hominum malitia, qui ordinem a Deo institutum negligunt. Verumtamen si Deus nullum constituisset judicem pro hisce causis, hic defectus in ipsum Deum recideret, quod admitti non potest.

Fines ergo inter potestatem ecclesiasticam et civilem assignandi, et lites huc pertinentes Ecclesiae judicio, non Statuum, subsunt.

7. Sed Ecclesiae magisterium non solum ad relationes Sta-

1) Cf. etiam Encycl. „Immortale Dei“ n. 28.

tuum ad Ecclesiam se porrigit. Etenim quum ipsa sit suprema magistra, non tantum in rebus fidei, sed etiam morum, ipsius quoque est, docere potestatem civilem, quomodo recte et juste se habeat erga alios Status et erga subditos suos.

Ac primum quidem singuli fideles debent adire Ecclesiam, i. e. sacerdotes, si dubitant, utrum legi alicui, a potestate civili latae, obedire teneantur, vel utrum saltem obedire liceat. Sed et ii, qui leges ferunt, vel in legibus ferendis participant, magisterium Ecclesiae adire debent, si dubitant, num hanc vel illam legem licite ferre possint. Adde: Si quis Status bellum inire vult contra alium Statum et de liceitate hujus belli dubitat, nec dubium hoc potest proprio marte solvere, ipse quoque, ut Ecclesiae magisterium adeat, obligatur. Pariter si singuli dubitant, utrum sibi liceat pro tali bello dare nomen militiae, adeant Ecclesiae sacerdotes.

Quod in bulla „Unam sanctam" Bonifacius Papa VIII. asserit, quum dicit: Ecclesiae esse „instituere" potestatem civilem (cf. supra pag. 121).

8. Quo magis haec recta principia simul cum christianismo in vita publica nationum obliterata sunt, eo majore afficimur gaudio, quum videamus, quam bene et recte ea perspexerit et applicaverit Protestans quidam Anglus, David Urquhart.

Is natus erat anno 1805 ex antiqua quadam Scotiae familia. Occupatus in Angliae legationibus tempore Lord Palmerstonii, viderat, usque quo juris et justitiae aestimatio ex internationalibus populorum relationibus relegata esset. Ex uno vel duobus saeculis nullum juste coeptum esse bellum putat, sed artem politicam prorsus occupasse justitiae locum.

„Terra quaedam", dicit, „plenâ in pace poterat invadi, bello „non indicto, sine rationum allegatione, et — quum is, qui inva„debatur, nihil fecisset — sine praetextu, qui belli indictionem „fulcire potuisset. Terra ista poterat occupari, alii terrae poterat „incorporari, dum reliqua Europa testis manet immobilis in„justitiae. Victima non poterat invocare jus commune, quippe „quod mortuum erat."

Bella — sic fere pergit Urquhart — si deest titulus juris, non sunt nisi homicidia multiplicata; subditis autem, qui ista homicidia committere coguntur, non est animus negandi, quod imperatur. Ut societas humana in meliorem redeat statum, requiritur, ut juris idea denuo aestimetur. Quod ut fiat, curandum

est omnibus, et curandum est maxime capiti Ecclesiae catholicae, Pontifici Summo.

Nec Papa ullam habuit partem in jure internationali violando; ejus manus mundae sunt. Protestatus enim est contra injusta pacta, Vindobonae inita, contra injustitiam, quae in Polonia et Italia committebatur. Tum, quum potentia ipsius erat summa, nunquam ea ad territorium suum injuste amplificandum abutebatur. Nostris vero diebus materialismo in quaestionibus juris bellum jam indixit. Vexillum, quod Papa hac in re erexit, est damnatio sententiae: „Facta consummata, eo ipso, quod consummata sunt, vim legis habere." (Encyclica „Quanta cura" Pii IX. cf. Syllab. 59. 61).

Sic scripsit Protestans ille, et libello quodam „summum thronum potestatis humanae". Summum Pontificem scilicet, occasione Concilii Vaticani d. 1. Januarii 1869 supplex adit, ut ipse pactis internationalibus denuo conciliet sanctitatem. „Potentia illa", ait Vicario Christi, „tuis in manibus est. Potentia alia non est, nec „spes." [1])

Sed quomodo Summus Pontifex, suo territorio temporali orbatus, dum omni potentia saeculari caret, omnes orbis terrarum Status, quorum plurimi et potentissimi spiritualem ejus potestatem non agnoscunt, ad agnitionem justitiae redigere poterit? Urquhart indicat viam, quae duo potissimum complectitur media:

Primum: Papa, adscito concilio universali, componet codicem juris internationalis, ut ab omnibus sciatur, quid justum sit et quid injustum.

Secundo: Ope legatorum suorum, quos apud singula gubernia habet, illico sententiam feret de justitia vel injustitia belli cujusvis exsurgentis. Quodsi fecerit, nemo Catholicus poterit licite cooperari in bello, damnato utpote injusto. Catholici vero obedient voci supremi Pastoris. Unde fiet, ut vel ipsum gubernium Anglicum (et similiter alia) a bello injusto desistere cogatur.

Grande sane consilium, cui admirationem denegare non possumus! Quodsi executioni mandari posset et mandaretur, pax et justitia rediret, et isti exercitus nimis magni, qui singulorum rebus et moribus quamplurimum nocent, possent dimitti.

1) Appel d'un Protestant au Pape pour le rétablissement du droit public des nations (Paris, Douncol, 1869), p. I. — Cf. Historisch-polit. Blaetter tom. 64, p. 493 seqq., 612 seqq.

Verum quantumvis legitima nobis videantur, quae profert Urquhart, ob duas rationes executioni mandari videntur non posse, saltem quamdiu non ipsa gubernia judicio Summi Pontificis de belli justitia sponte se submittunt.

Prima ratio est, quod saepe satis longum tempus ad sententiam de belli justitia ferendam requireretur, nisi judex arbitrarie ageret. Interim bellum forte jam esset finitum vel saltem eousque progressum, ut pars victrix non jam desistere vellet.

Secunda ratio est, quod saepe prudentia et charitas vetaret, ne Summus Pontifex, a nullo invocatus, sententiam ferret, etiamsi incipiente bello haec statim ferri et ope telegraphi per totum terrarum orbem nuntiari posset. Quamdiu enim de belli injustitia subditis non constat, debent, si ad militiam conscribuntur, obedire Principibus suis. Sed, si judicio Vicarii Christi ipsis constaret de injustitia belli, ab omni belli opere deberent abstinere et potius mortem eligere, et eam secundum hominum judicium ignominiosam, quam adjuvare Principem vel Statum in crimine belli injusti committendo. Summus Pontifex igitur, non interrogatus, consultius saepe aget, si milites in bona fide relinquat, nec quidquam de belli injustitia pronuntiet.

Has ob rationes putamus, clarissimi Urquhart consilia non posse executioni mandari. Nihilominus libenter agnoscimus, quam bene ipse, licet Protestans, magisterii ecclesiastici naturam perspexerit. Quod si Principes semper eodem modo agnovissent, neque Gallia rebellionem anni 1789 habuisset, neque Russia haberet nihilismum, et aurea quadam aetate frui possemus.

9. Gaudemus, tempore recentiore duo gubernia potentissima, Germaniae scil. et Hispaniae, optime perspexisse, quaenam utilitas integris nationibus possit ex eo provenire, quod Sanctae Sedis auctoritas ad sententiam ferendam de litibus obortis sponte adeatur, ipsiusque pacifica decisione bella funestissima praecaveantur.

Quae res ut melius pateat, exhibeamus Allocutionem S. D. N. Leonis XIII. habitam in Consistorio die 15. Januarii 1886, cujus haec sunt verba:

„Etsi res, de qua dicere instituimus, in communi jam cognitione „versatur, tamen quia cum publico gentium bono conjungitur, et „morem Apostolicae Sedi perhonorificum eumque jam diu intermissum „renovavit, idcirco dignam judicamus, de qua ad vos in hoc am„plissimo loco per Nosmetipsos referatur.

„Superiore mense Septembri, cum a Nobis Germaniae Imperator „et Hispaniae Rex simul petiissent, ut in controversia de Carolinis „insulis auctores transigendi negotii Nos fieri placeret, delatum „fidei Nostrae perofficiose munus grata libentique voluntate recepi„mus, quia prodesse aliquid opera Nostra concordiae et humanitati „posse videbatur. Itaque adlata ultro citroque momenta rationum „judicio sincero et aequo perpendimus: brevique licuit quaedam „constituendae concordiae velut fundamenta indicare, quae utrisque „probabilia confidebamus futura.

„Hispania quidem jus suum in dissitas illas Micronesiae re„giones multimodis tuebatur: natione eorum, qui ad ea littora primi „appulissent: testimonio scriptorum de re geographica gravissi„morum: nomine ipso Carolinarum hispanica origine: denique et „illud afferebat, apostolicos viros illuc plus semel ab regibus suis „missos. Cujus postremae rei cum rebus gestis Pontificatus Romani „est nexa et jugata memoria. Exstat enim epistola Clementis XI. „decessoris Nostri ad Philippum V. data anno 1706, qua regem „collaudat, quod navigium pro trajectu resque omnes necessarias „missionariis commodasset ad eas insulas transmissuris: praete„reaque hortatur, ut christianum propagare nomen et saluti tot „hominum sempiternae opitulari perseveret. Idem Pontifex a „Ludovico XIV. rege Galliarum per litteras rogavit, ne gravaretur „a Philippo V. nepote suo contendere, ut bene coepta bene vellet „perficere. Huc accedit, Philippum ipsum in tuitionem sacrae ejus „expeditionis annuos reditus addixisse ad duo millia nûmum: „insuper in instituendis ad religionem incolis Hispanorum hominum „operam singularem fuisse, interveniente nemine: postremo quod „est de vita cognitum moribusque insulanorum, id apostolicis viris „cognitum esse auctoribus.

„Ex hac serie rerum, si modo ad praescripta examinentur „juris publici, quod tunc valebat, cum illae res agerentur, eminere „satis certam Hispaniae in Carolinas insulas auctoritatem. Etenim „si jus imperii erudiendis barbaris gentibus recte quaeritur, pro„fecto qui eas a superstitione ad Evangelium vindicare studuisset, „maximum attulisse humanitatis lumen videbatur, cum omnis urbani „cultus inclusa in religione semina putarentur. Hoc principio „constituta saepe imperia, nominatim in plures Oceani insulas, „quarum non paucae nomen ipsum a religione invenerunt. — Cum „igitur vetus et rata insedisset in mentibus opinio, Carolinas in-

„sulas in Hispanorum esse potestate, mirum non est, quod, orto „repente de earum possessione certamine, exarserit Hispana gens „concitatione tanta animorum, ut nec tranquillitas mansura domi, „nec amicitia foris videretur.

„His tamen rationibus illud a Germanis in genere juris „opponebatur, insidendo obtineri terras oportere: idque, si recentia „quaedam facta animadvertantur, ratum jure gentium videri, legi„timam in terras vacuas auctoritatem occupatione usuque gigni: „occupatio ususque quamdiu absint, tamdiu perinde ac *res nullius* „haberi terras. Deinde, si factum spectetur, cum unius dimidiatique „saeculi spatio possessionem Carolinarum Hispania intermisisset, „adjudicandas ei videri, qui primus occupavisset. Huc accedere, „quod anno 1875, cum quaedam, in caussa non multum dissimili, „dissensio fuisset, Germania et Britannia testatae sunt, nequaquam „se hispanicam in Carolinas ditionem agnoscere.

„Ergo contrarias in sententias abeuntibus animis, majora „prohibere dissidia conati sumus, habitâque jurium et commodorum „utriusque gentis ratione, qui Nobis modus ineundae concordiae „maxime opportunus videretur, fidenter significavimus. Aequitatem „secuti sumus ducem, et in eas conditiones, quae a Nobis pro„positae sunt, quas singuli nostis, utraque pars libens concessit.

„Ita, quod spectato illo, qui nunc est, opinionum cursu, vix „sperari posse videbatur, divinae providentiae nutu factum est, ut „summa Ecclesiae auctoritas testimonium amplum referret a „nationibus duabus, nomine potentiaque magnis, et, quod est „muneris sui maxime proprium, pacem inter eas concordiamque „efficaci consilio tueretur. Quod est quidem ab illa virtute repe„tendum salutari et beneficâ, quam potestati Pontificum Maximorum „Deus auctor ingenuit, quaeque inimicorum invidiâ major et „temporum iniquitate fortior, nec exstingui potest nec mutari. Ex „quo ipso iterum apparet, quam sit grave malum oppugnatio Sedis „Apostolicae, ejusque legitimae libertatis deminutio: quibus rebus „non modo justitia religioque violatur, sed ipsa deseritur utilitas „publica: propterea quod in hoc praesertim rerum publicarum tam „ancipiti dubioque statu Romanus quidem Pontificatus bona alla„turus esset longe majora, si, incolumi libertate vindicatisque „juribus suis, vim suam omnem posset in salutem humani generis, „nulla re impediente, exercere.“

c. De immunitatibus.[1])

1. A magisterio transimus ad imperium sensu strictiori; nam latiori sensu tota potestas jurisdictionis, cujus pars est magisterium, dici potest imperium.

Populus quilibet christianus duplici subest imperio: imperio temporali gubernii sui civilis et imperio spirituali Ecclesiae catholicae. Sicut ipsi homines, ita et territorium et res et actiones generatim loquendo duplici huic potestati supremae subsunt. Neutra potestas est omnipotens, i. e. neutra jus habet nullis limitibus circumscriptum, sed utraque habet limites suos, ex Dei voluntate positos et ex fine utriusque cognoscendos.

Hos fines quod attinet, fieri non poterat, ut Christus, quum Ecclesiam fundaret, eos pro omni tempore etiam in rebus minutissimis ordinaret. Alia enim tempora alias exposcunt leges. Olim forte, potestate civili minus bene exculta, valde proficuum erat jus asyli, quo, qui crimen commiserat, confugiendo ad Ecclesiam, potestati civili se subducere poterat. Nunc contra, rebus melius constitutis, potest esse, ut jus illud asyli jam minus conveniens videatur, saltem in tota extensione, quam antea habebat.

Quae quum ita sint, necessarium erat, ut Christus in Ecclesia fundanda aliquem assignaret, qui limites istos pro temporum et locorum varietatibus semper assignare posset. Quis vero est hic, nisi ille, cui dixit: „Quodcunque ligaveris super terram, erit „ligatum et in coelis“? Utique compositio amicabilis hac de re semper valde optanda est et ab Ecclesia exoptata[2]), sed non semper fieri potest. Statui commissam esse hanc limitum determinationem, nullibi indicatum videmus. Tertia quaedam potestas praeter Ecclesiam et Statum, cujus sit assignare limitem, nusquam apparet. Et si appareret, et si quid ligaret, limites ejusmodi assignando, hoc iterum solvi, vel alio modo ligari posset ab illa potestate, cui dictum est: „Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et „in coelis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in „coelis.“ Hinc nihil restat, nisi ut verbis illis „Quodcunque „ligaveris etc.“ et hanc potestatem comprehensam intelligamus, accuratius figendi limitem inter Ecclesiam et Statum, ubi ipsa

1) Cf. Hergenroether, „Kath. Kirche“ pag. 760 seqq.; 837 seqq.; Schneemann, die kirchl. Gewalt, pag. 68—91.

2) Cf. Encycl. „Immortale Dei“ n. 50.

rerum naturâ nondum satis determinatus est. Quod idem etiam ex altiore fine et ex magis universali natura Ecclesiae sponte fluit.

Duplici igitur modo Ecclesiae est assignare limitem inter Ecclesiam et Statum: Primo vi magisterii (quod supra vidimus), ita ut doceat, quinam limites jam ex dispositione Christi et rerum natura habeantur. Secundo vi imperii (quod modo vidimus), ita ut de novo limites figat, ubi a Christo et rerum natura plus minusve relicti sunt indeterminati. Haec altera ratio locum habet in immunitatibus, quas liberationes personarum vel rerum a potestate civili intelligimus, cui subjectae essent, nisi dicto modo a Christo vel ab Ecclesia eximerentur.

Immunitates igitur non ex arbitrio et mera liberalitate potestatis civilis ortum habuerunt, sed (sive immediate, sive mediate) ex dispositione Christi; et merito damnavit Pius IX. sententiam hanc: „Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum „immunitas a jure civili ortum habuit.“ [1])

2. Caeterum immunitates fortasse magis, quam generatim putatur, in immediata Christi dispositione fundantur; et, licet non omnia scripta sint, quae Jesus fecit atque docuit: hujus rei saltem vestigium sat clarum in Sacra Scriptura invenitur. Quod ut tibi persuadeas, evolve hunc locum: Accesserunt quondam, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, et dixerunt ei: „Magister vester „non solvit didrachma?“ Respondit Petrus: „Etiam.“ Et quum intrasset in domum, praevenit eum Jesus dicens: „Quid tibi videtur, „Simon? Reges terrae, a quibus accipiunt tributum vel censum? „a filiis suis an ab alienis?“ Et ille dixit: „Ab alienis.“ Dixit illi Jesus: „Ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, „vade ad mare et mitte hamum et eum piscem, qui primus ascen- „derit, tolle, et aperto ore ejus invenies staterem: illum sumens, „da eis pro me et te.“ [2])

Merito ex his verbis semper conclusio facta est: ex Christi verbis non posse clericos eodem modo, quo alii, ad onera publica ferenda cogi. Petrus enim a Christo ea ratione staterem solvere jubetur, non quod ipse et Dominus ipsius obligati sint („liberi sunt filii“), sed ne homines, Christi et Petri dignitatem ignorantes, in denegatione solutionis tributi scandalizentur.

1) Syllab. 30; cf. 31. 32.
2) Matth. 17, 23—26.

Etenim aequissimum est, eos, qui bono publico summo, scil. spirituali, totos se devovent, qui saepe forte omnes opes suas in pauperes vel alio modo in utilitatem publicam expenderunt, non similiter ac reliquos cogi, ut praeterea partem suam ferant onerum publicorum.

Geffcken, quem saepius jam invenimus vim Sacrae Scripturae evertentem, hic etiam offendimus textum supra memoratum suo modo interpretantem. Agnoscit ille quidem, Christum dicere „com-„munitatem suam proprie non esse tributis obnoxiam“ [1]), sed addit, hic agi non de tributo ad res profanas, sed in usum templi colligendo, „ad quod solvendum Jesus utpote fidei consummator „merito putat se non esse obligatum“. Bene! Sed „communitas „Christi“, i. e. Apostoli, non erant „fidei consummatores“, et nihilominus et hanc communitatem Geffcken ut non obnoxiam ulli tributo agnoscit; hinc idem certe dici poterit nunc de hac eadem communitate, quae in Episcopis perseverat. Ergo aliqua immunitas ab ipso Christo immediate videtur introducta.

3. Sunt igitur immunitates, ut jam dictum est, liberationes quaedam personarum vel rerum a jurisdictione civili, cui subessent, si illae immunitates non existerent.

Non bene vocantur exemptiones. Exemptiones enim vocari solent liberationes nonnullorum, v. g. Regularium, a potestate episcopali, ita ut Summo Pontifici immediate subdantur.

Restat, ut de immunitatibus pauca dicamus. Dividuntur in immunitatem personalem, realem, localem.

4. Immunitas personalis universum clerum, Ordinibus religiosis Congregationibusque inclusis, a potestate saeculari exemit, ita ut clerici essent quasi exterritoriales, neque potestati legiferae, neque judiciali neque executivae Statuum, in quorum territorio versarentur, subessent.

Imprimis autem haec immunitas ex ipsa natura rei Vicario Christi competit. Quomodo enim is subditus esse potest, qui omnium potestatem absolute supremam tenet? Cujus potestati indirectae etiam Status subjiciantur? Cui dictum est: „Quodcunque ligaveris „super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcunque solveris „super terram, erit solutum et in coelis“?

Utique „primis Ecclesiae saeculis . . . Pontifices subditi

1) Geffcken, Staat und Kirche p. 53.

erant „quoad factum“ potestati civili, sed „non quoad jus“.[1]) Et sicuti Principes generatim ob bonum ordinem obligantur, ut servent leges, quas ipsi tulerunt, vel leges territorii alieni, in quo forte versantur; ita etiam Summus Pontifex alio titulo, v. g. charitatis, obligari potest, ut servet leges quasdam humanas, non vero ita, ut unquam subditus fiat ullius potestatis humanae.

Etiam reliquo clero, maxime Episcopis, certa quaedam immunitas a potestate saeculari semper et ubique necessaria est. Num enim sacerdos relinquere debebit altare, ut miles fiat? Num integrae dioeceses vel paroeciae pastoribus suis privari poterunt, num aegroti sine sacramentis mori debebunt, ut numerus militum, nimium jam auctus, uno numero etiam magis augeatur?

Alia, quae spectant ad immunitatem personalem, pendent magis a temporum atque locorum circumstantiis. Quum partes occidentales Europae Ecclesiam intrarent, saepe in iisdem territoriis variae legislationes habebantur, v. g. jus Romanum et jus Francorum, Burgundionum, Gothorum, Longobardorum aliorumque pro diversitate incolarum. Quare pronum erat, ut clerus quoque suum haberet jus et judicem.

Temporum adjuncta hoc modo immunitatibus favere poterant; fundamentum autem juridicum earum, uti diximus, non est concessio quaedam gubernii civilis, sed potestas ab ipso Christo Ecclesiae data. Ipse Bluntschli, quantumvis Ecclesiam catholicam odio habeat, fatetur: „Immunitas cleri a justitia saeculari logica fere „necessitate e principio fundamentali Catholicorum sequitur.“[2])

Itaque ubi immunitas personalis in integritate sua permansit, in hisce fere secundum P. Liberatore consistit: Clerici ad leges civiles observandas obligantur, in quantum hae leges sacris canonibus non adversantur. Non tamen „quoad vim coactivam“ obligantur, ita ut ad tribunal civile compelli possint; sed obligantur „quoad vim directivam“. Tunc solum a judice saeculari puniri possunt, si justas ob causas ab Ecclesia brachio saeculari traduntur.

5. Similiter, ac immunitas personalis personas, immunitas realis res Ecclesiae et cleri potestati civili et proin tributis

---

1) S. P. N. Leo XIII. in epistola pastorali, quam scripsit ut Episcopus Perusinus. (Cf. Lehmkuhl, Theol. mor. t. I. n. 139; Scavini, Comp. n. 234.)

2) Bluntschli in Sybels Zeitschrift 1861 pag. 64.

civilibus subduxit. Immunitas localis denique invexit jus asyli, quo Ecclesiae aliaque loca sacra a strepitu judiciali, hinc etiam ab apparitorum munere exercendo, immunia manere debebant.

6. Caeterum relate ad omnia tria immunitatum genera Ecclesia semper parata erat temporum mutationis rationem habere. Injunxit clero, ut legibus civilibus obtemperaret, quantum hoc sine detrimento boni altioris fieri potest. Porro immunitas a vectigalibus jam tempore medii aevi v. g. in Gallia donationibus voluntariis, quas clerus regibus dabat, large compensabatur. Similiter immunitas localis valde restringebatur a Benedicto XIV.[1]) Et ubicunque potestas temporalis rationabiliter mutationem aliquam relate ad immunitates optabat, Ecclesia paratam se praebuit. Argumento sunt Concordata, facta cum Austria, Wuerttembergia, Badenia, per quae clerus subditus est judicibus saecularibus in rebus civilibus et criminalibus.[2])

Negari autem non potest, nostris etiam diebus religioni interdum valde nocivum esse, si clerici judici saeculari subjiciantur. Belgium satis numerosa exhibet exempla, quomodo judices athei sua in clerum potestate abutantur. Sed etiamsi bonam voluntatem supponas apud judices, laici tamen, maxime si sint acatholici, non semper sufficientem rerum, quae spectant sacerdotes, intelligentiam habebunt.

Quodsi nihilominus Ecclesia Statuum desideriis in immunitate restringenda saepe respondit, eo firmius tenendum est, immunitates de jure nullatenus restringi nedum de medio tolli, si Status, spreta Ecclesia, legislatione sua, quae nulla est, jura Ecclesiae hac in re violet.

d. De jure matrimoniali.[3])

1. Inter juris privati partes, in quibus Ecclesia et Status se mutuo tangunt, primo loco nominamus jus matrimoniale.

Matrimonium apud omnes populos semper religiosum quid habebatur; aliam hac in re exceptionem vix poteris assignare, nisi „matrimonium" civile, quod nostris diebus homines infideles invenerunt. Et quidem merito aliquid religiosi matrimonio

1) Ferraris, Bibliotheca ad v. „Immunitas".

2) Conc. Austriac. Art. 13. 14. — Conventio Wuerttemb. et Baden. Art. 5.

3) Cf. Schneemann, Die Irrthümer über die Ehe, 2. ed., Friburg. 1876.

semper videbatur inesse. Nam quum religioni primae partes in vita humana debeantur, solium illud, ex quo generandum est genus humanum, necesse est religiosam potissimum habere naturam.

Quamdiu evolutio publicae potestatis absque revelatione divina procedebat (si excipias parvam civitatem Judaeorum), aut unitas quaedam poterat servari, ita ut summae potestates, tum religiosa tum saecularis, manerent conjunctae: tunc certe huic conjunctae potestati rerum matrimonialium cura incumbebat, quantum potestatis publicae hac in re cura requirebatur; aut duae illae potestates, religiosa et saecularis, separabantur; tunc cura rerum matrimonialium potestati publicae religiosae debebatur.

Sed quum Deus Ecclesiam catholicam fundaverit, eique curam religionis, et privatam et publicam, tradiderit, eo magis ipsi totam jurisdictionem in rebus matrimonialibus tradidit, quia matrimonium ad dignitatem sacramenti evexit, ita ut de religiosa ejus natura jam nullatenus dubitari liceat. Nam, ut cum Pio Papa VI. loquamur: „Dogma est fidei, ut matrimonium, „quod ante adventum Christi nihil aliud erat, nisi indissolubilis „quidam contractus, illud post Christi adventum evaserit unum „ex septem legis evangelicae sacramentis . . . . Hinc fit, „ut ad solam Ecclesiam, cui tota de sacramentis est cura „concredita, jus omne ac potestas pertineat, suam assignandi „formam huic contractui, ad sublimiorem sacramenti naturam „evecto, ac proinde de matrimoniorum validitate aut invali„ditate sententiam ferre."[1]) Provocat dein Summus Pontifex ad Concil. Tridentinum[2]), quod anathema minatur iis, qui verbo vel factis Ecclesiae jurisdictionem matrimonialem negent, eamque legislatoribus et judicibus saecularibus attribuant.

Similiter Pius IX. damnavit sententiam: „Causae matri„moniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent."[3])

2. Ergo sequitur, inter Christianos Statui non competere neque legislationem neque potestatem judiciariam neque executivam in rebus matrimonialibus; eum non posse (independenter ab Ecclesia)

1) Pius VI. ad Episc. Motulensem; apud Palmieri, tractatus de matrim. christ. (Romae 1880) pag. 265. 266.

2) Conc. Trident. S. 24. de reform. matr. can. 12.

3) Syllabus 74; cf. Encyclicam Leonis XIII. „Arcanum divinae" d. 10. Febr. 1880; dein Hergenroether, „Kath. Kirche", pag. 845 seqq.; Schneemann, Die Irrthümer über die Ehe, pag. 91 seqq.

constituere impedimenta matrimonii, neque causas separationis, neque posse hisce in rebus lites decidere. Quod nihilominus Status facere attentat, tum illicite tum invalide facit.

Haec conclusio necessaria ex dogmate catholico fluit. Quam ut evitarent adversarii, invenerunt hoc sophisma: Matrimonium ut sacramentum subest Ecclesiae; matrimonium autem ut contractus civilis subest potestati civili; hinc potest fieri, ut matrimonium invalidum sit, quantum est sacramentum, sed valeat quantum est contractus civilis.

Quid ad hanc objectionem? Supponit, sacramentum matrimonii et contractum matrimonialem esse duas res distinctas, a Christo quidem conjunctas, quae tamen iterum possint separari, ita ut unum adjudicare liceat foro Ecclesiae, alterum foro saeculari. Minime vero sunt duae res distinctae, sed prorsus idem. Habent se, ut similitudine quadam utamur, non ut aqua et glacies, quae in aquam projicitur, sed ipse contractus matrimonialis ita factus est sacramentum, ut ipsa aqua fit glacies, si frigori exponitur. Aquam congelatam non poteris ita separare, ut aquam offeras judici saeculari, congelationem aquae judici ecclesiastico: nec matrimonium poteris addicere potestati saeculari, in quantum est contractus, et potestati spirituali, in quantum est sacramentum.

Caeterum et illud suppositum est falsum, quasi omnes contractus ad judicem saecularem pertineant; ad eum enim solum contractus in rebus saecularibus spectant; contractus autem in rebus ecclesiasticis spectant ad judicem et legislatorem ecclesiasticum.

Ut absurditas illa, qua gubernium civile ratione contractus sibi vindicat matrimonium, etiam magis pateat, ecce aliud simile: Nobiles olim a judicibus inferioribus exempti erant, ita ut soli judici superiori (secundae instantiae) se sistere deberent. Ponamus jam, dominum quendam X factum esse nobilem et vocari „Dominum de X". Convenitur nunc apud judicem inferiorem propter debitum quoddam; opponit, se esse nobilem, nec posse conveniri apud judicem inferiorem. Judex rejicit exceptionem et condemnat eum non ut „Dominum de X", sed ut „Dominum X", abstractione facta a nobilitate. Num iste judex agit secundum leges, quae vigent? Certissime non. Sic Status quoque legem a Deo latam rejicit, si matrimonium, abstractione facta a natura sacramenti, ante suum trahere vult forum. Inter Christianos enim non habetur matri-

monium, quod non simul sit sacramentum, et proinde ad Ecclesiae forum exclusive spectet. Matrimonium civile, quod Status introducere vult, nisi simul conditionibus ab Ecclesia requisitis satisfaciat, non est nisi concubinatus illicitus seu fornicatio.

In hanc sententiam locutus est etiam Pius Papa IX. in Allocutione habita d. 27. Septembris 1852 de republica Neogranatensi: „Nihil dicimus", inquit, „de alio illo decreto, quo matrimonii „sacramenti mysterio, dignitate, sanctitate omnino despectâ, ejusque „institutione et naturâ prorsus ignoratâ et eversâ, atque Ecclesiae „in sacramentum idem potestate penitus spretâ, proponebatur juxta „jam damnatos haereticorum errores atque adversus catholicae „Ecclesiae doctrinam, ut matrimonium tanquam civilis tantum „contractus haberetur, et in variis casibus divortium proprie dictum „sanciretur, omnesque matrimoniales causae ad laica deferrentur „tribunalia et ab illis judicarentur: cum nemo ex catholicis ignoret „aut ignorare possit, matrimonium esse vere et proprie unum ex „septem evangelicae legis sacramentis a Christo Domino institutum, „ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno „eodemque tempore sit sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam „inter Christianos viri et mulieris praeter sacramentum conjunc„tionem, cujuscunque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse „nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere „damnatum, ac proinde a conjugali foedere sacramentum separari „nunquam posse, et omnino spectare ad Ecclesiae potestatem ea „omnia decernere, quae ad idem matrimonium quovis modo possunt „pertinere." [1])

Similiter habet S. P. N. Leo XIII. in Encyclica „Arcanum divinae sapientiae" d. 10. Febr. 1880:

„Etenim quum matrimonium habeat Deum auctorem, fueritque „vel a principio quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio, „idcirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam, non adventitium, „sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum. „. . . . Igitur quum matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte „sacrum, consentaneum est, ut regatur ac temperetur non Prin„cipum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiae, quae rerum „sacrarum sola habet magisterium. Deinde consideranda sacra„mentorum dignitas est, cujus accessione matrimonia christianorum

1) Cf. Denzinger, Enchiridion n. 1501.

„evasere longe nobilissima. De sacramentis autem statuere et „praecipere ita ex voluntate Christi sola potest et debet Ecclesia, „ut absonum sit plane, potestatis ejus vel minimam partem ad „gubernatores rei civilis velle esse translatam.“ [1])

Verum de re reprobanda haec hactenus; jam videamus, quam sint funesta, quae ex ea sequuntur.

3. Perniciosae sequelae „matrimonii“ civilis habentur in eo, ut primum membrum organismi socialis naturâ suâ religiosâ et christianâ privetur. Sentiuntur istae sequelae magis fortasse apud Protestantes quam apud Catholicos, quum Protestantes fere omnino a legislatione civili dependeant. Catholici vero magis independentes sint. Sed etiam Catholicis tale pseudo-matrimonium maxime nocet et nonnunquam maximam conscientiarum tyrannidem secum fert.

Sit v. g. „matrimonium“ ejusmodi celebratum coram officiali civili secundum codicis civilis Gallici dispositionem. Spoponderat vir, postea se initurum matrimonium coram parocho, sed promissis non stat. Puella igitur scit, se nondum esse matrimonio conjunctam. Nihilominus vir secundum Art. 214 Codicis civilis ope apparitorum eam in domum suam adducit et cogit ad cohabitandum!

Vel conjuges quidam civiliter separantur, et alter ex ipsis civiliter novum „matrimonium“ (rectius: adulterium) init. Postea ad saniora consilia revertitur atque intelligit, superstite priore conjuge nullum esse matrimonium alterum. (cf. 1 Corinth. 7, 10. 11; Matth. 5,32; 19,9.) Quid igitur? Status eum coget, ut in adulterio, se auctore incepto, perseveret!

Haec et similia satis ostendunt, quid sequatur, si Status falcem mittit in alienam segetem. Utique aderunt difficultates, si multae et variae religiones in territorio ipsius exstant. Sed quomodocunque Status ad alias religiones earumque jus matrimoniale se habebit: Ecclesiae catholicae debebit integram et omnino liberam relinquere jurisdictionem in rebus matrimonialibus, quas ipsa optime et cum maximo fructu administrat. Jam ideo cavendum ei erit, ne se has in res ingerat, quia talis actio sine ulla necessitate fieret. Nam si de eo solum agitur, ut Status notitiam accipiat de

1) Leo XIII. Encycl. „Arcanum divinae“; cf. Lehmkuhl, Theol. mor. (Friburgi, Herder) n. 701; cf. 724. 725.

numero personarum, vel de consanguinitate, quae magni momenti est in hereditatibus ordinandis, nonne sufficient ei libri, a parochis his de rebus compositi? Quos si putet insufficientes, ipse suos poterit componere libros et obligare singulos, ut matrimonia contracta et liberos procreatos sibi indicent. Matrimonium vero civile, sive obligatorium sive facultativum, semper (quoad christianos saltem) jus potestatis saecularis excedit.

4. Non possumus hic omittere judicium, quod unus ex praestantissimis juris consultis nostri saeculi, Dominus de Savigny, de matrimonio civili protulit.

Quum anno 1852 gubernium Pedemontanum de matrimonio civili introducendo cogitaret, his verbis consuluit de Savigny Professorem Berolinensem: „Bonumne est in praesentibus rerum „adjunctis, hoc saeculo eruditionis, quo vivimus, admittere ma„trimonium mere civile, sicut in Codice civili Gallico habetur?“ Speraverat forte gubernium Pedemontanum, a Professore Protestante Borussico se recepturum responsum affirmativum. Sed Savigny respondit: „Termini, quibus interrogatio concepta est, in „affirmativum videntur inclinare responsum; innuere videntur, „matrimonium civile in ea via progressum esse, quam providentia „praefixerit homini, ut perfectioni appropinquaret. Bis mihi fuit „occasio disserendi de natura matrimonii: in tractatu scilicet de „jure Romano et in dissertatione de legibus Borussiae refor„mandis . . . Exposui ibi principium, matrimonii naturam eam „esse, quae ex diversis componatur elementis, quorum primum et „praecipuum est elementum morale et religiosum; contra in ma„trimonio civili nonnisi elementum juridicum agnoscitur et urge„tur, elementum autem morale et religiosum ignoratur, negligitur „et singulorum relinquitur arbitrio, unde necessario sequitur de„generatio matrimonii . . .

„Napoleonis (I.) temporibus principia negantia et destruentia „multo minus agebant et dominabantur, quam nunc. Si matri„monium civile in terram, in qua nondum receptum est, hodie in„troduxeritis, multi erunt, qui cum gaudio illud recipiant, non „addito actu religioso: alii, ex levitate et vanitate, alii quia prin„cipia christiana maximo habent odio.

„Ex altera parte matrimonium civile naturâ suâ necessario „ad admittendum divortium illimitatum perducit; nam si rem ex „parte justitiae consideres, non multum objici potest contra hoc,

„quod matrimonium simpliciter ex voluntate conjugum separetur; „obstat solummodo altius principium morale, religiosum. Si istae „res novae constanter executioni mandantur, si magna populi pars „matrimonium sine actu religioso contrahit, si separatio plus „minusve arbitrio conjugum relinquitur, mox eo perventum erit, „ubi limes inter matrimonium et concubinatum non jam assignari „poterit. Tunc familia dissolvetur.

„Notum mihi est ex foliis publicis, esse apud vos graves con„flictus inter partem catholicam et liberalem. Fortasse dicetur, „me ad matrimonium principium catholicum applicasse, omnemque, „qui non prorsus se subjicere velit principio catholico, sententiam, „quam ego defendam, omnino debere rejicere. Ad quae respondeo, „me esse Protestantem, atque in naturâ matrimonii dijudicandâ „me non a principio catholico, sed a consideratione rei prorsus „universali profectum esse. Si ergo mea de natura matrimonii „sententia et sequelae inde deducendae magna ex parte cum „doctrinis respondentibus Ecclesiae catholicae concordant, hoc „argumento erit, sententiam, quam modo exposui, ex intima per„suasione mea, non vero ex partium quocumque studio fluere."

Haec Savigny. — Sed ipse Princeps Bismarckius olim, die 15. Novembris 1849, vehementer contra matrimonium civile locutus est. Id facere Ecclesiam ancillam infimorum Status officialium. „Non credo," inquit, „legislationis esse, negligere, quod „populo sanctum est; immo vero credo, ipsius esse, efficere, ut „vita publica in omnibus fulmento fidei et benedictionibus reli„gionis firmiter utatur, non, ut fulmentum istud, ubi adest, tan„quam rem quandam inutilem publice rejiciat et aestimationem „Ecclesiae atque institutorum religiosorum, ubi firmas radices in „populi vita egerunt, ita supplantet."

5. Nec solum per matrimonium civile Status fines potestatis suae transgreditur; verum etiam impediendo, quominus matrimonia ineantur, quum v. g. certos conjugum redditus, vel communitatis civilis consensum, vel similia exigit.

Facile nos quidem concedimus, matrimonia pauperum magnum interdum onus communitati causare; huic enim ultimo loco obligatio alendi liberos, si ipsi parentes eos alere non poterunt, incumbet. Unde primo intuitu communitas vel Status matrimonium videtur posse vetare, nisi sponsi prius ostendant, unde vivere et familiam alere possint.

Nihilominus hoc jus vetandi (saltem independenter ab Ecclesia) prorsus est rejiciendum. et quidem ob quatuor rationes:

Primo: Saepe hoc „veto", praesertim si frequenter exercetur, non habet effectum illum minuendi numerum liberorum. Sponsi, qui non copulantur, nihilominus liberos a communitate alendos procreant, ita ut praeter hoc onus alimentorum insuper damnum illud morale concubinatuum adsit.

Bavaria et Mecklenburgia tristia hac in re exempla exhibere possunt.

Secundo: Etsi nonnulla matrimonia per „veto" illud sine periculo concubinatus impedirentur et fortasse pauciores essent liberi a communitate alendi; tamen certe etiam occasio multorum peccatorum daretur et mores depravarentur, ita ut hoc damnum morale multo majus esset quam lucrum pecuniae a communitate factum.

Tertio: Etiamsi hoc damnum morale non adest, tamen sine causa sufficienti libertas eorum, qui matrimonium inire volunt, violatur. Ea enim ratio, quod liberi communitati forent alendi, non praebet jus impediendi homines, ne ineant matrimonium. Quamvis servituti adversemur, putamus tamen, minus laedi justitiam, si liberi, alimentis communitatis enutriti, communitati ut servi adscribantur, quam si sponsi matrimonium inire impediantur, ne forte communitas aliquando liberis forte ab ipsis procreandis alimenta praebere cogatur.

Ponamus denique quarto, omnia, quae hucusque protulimus, carere fundamento, et revera jus esse sive Statui, sive communitati, sive parentibus sponsorum, impediendi matrimonium: certe hoc jus esset dependens ab Ecclesiae jurisdictione, quum matrimonium sit sacramentum, ideoque in omnibus jurisdictioni ecclesiasticae subsit. Hinc si Status vel communitas optat, ne matrimonia ineantur, nisi certis quibusdam conditionibus impletis, Ecclesiam adeat, cujus est, hac de re judicare.

Quantopere vero Ecclesia a quavis restrictione libertatis in matrimonio ineundo abhorreat, ostendunt verba Concilii Tridentini, quod „maxime nefarium" vocat, restringere libertatem in eligendo sponso; quodque magistratibus civilibus, qui ob rationes, rem familiarem spectantes, hoc attentent, poenam anathematis minatur.[1])

6. Hucusque solum matrimonium inter Christianos, quod, utpote sacramentum, totum quantum Ecclesiae, non Statui, subest, con-

1) Trid. S. 24 cap. 9, de ref. matr.

sideravimus. Sed quomodo res se habet in matrimoniis eorum, qui non sunt baptizati, quorum matrimonium non est sacramentum?

Res est alicujus momenti tum in regionibus ethnicis, tum respectu Judaeorum, qui inter Christianos degunt, tum eorum, qui, licet nati sint a parentibus christianis, aliquam ob causam omnino non, vel saltem non valide, baptizati sunt. Si enim jurisdictioni civili subsunt, matrimonia eorum, quae impedimentis a potestate civili quoad validitatem legitime positis adversantur, sunt invalida.

Sanchez in magno suo, quod de matrimonio scripsit, opere putat[1]), Statum matrimonio non baptizatorum impedimenta dirimentia apponere posse, ideoque jurisdictionem matrimonialem in eos habere; pro sententia sua permultos auctores citat, inter quos S. Thomam. Ballerini[2]) in editione theologiae moralis Patris Gury ejusdem est sententiae. S. Thomas sic habet: „Matrimonium, „in quantum est in officium naturae, statuitur lege naturae; in quan„tum est sacramentum, statuitur jure divino; in quantum est in offi„cium communitatis, statuitur lege civili. Et ideo ex qualibet dictarum „legum potest aliqua persona effici ad matrimonium contrahendum ille„gitima.“ [3]) Videtur igitur favere Sanchesio, nisi de effectibus mere civilibus matrimonii intelligendus sit. Perrone autem oppositae sententiae est, quamvis concedat, longe plurimos theologos et juris peritos tenere, Principem infidelem subditis infidelibus impedimenta dirimentia posse constituere. [4])

Non dubitamus, quin, secundum jus naturae purae, Status jurisdictionem matrimonialem habeat, ideoque impedimenta dirimentia statuere possit, si supponatur, omnem potestatem publicam, quae est, ei competere, neque esse a reliqua potestate publica separatam partem religiosam potestatis publicae sacerdotibus traditam. Necessarium enim est, ut aliqua adsit potestas publica ad res matrimoniales ordinandas, ad determinandum v. g., usque ad quosnam gradus cognationis matrimonium prohibitum sit, ad decidendas dein lites, quae de matrimonii validitate exsurgant.

---

1) Sanchez, de matrim. lib. 7. disp. 3. n. 2 seqq.

2) Gury, Comp. theol. mor., ed. Ballerini (Romae 1875), II. n. 802, Nota b.

3) S. Thomas Summa theol. Supplem. 9. 50. art. un. ad 4; cf. contra Gentes lib. 4. cap. 78.

4) Perrone, de matrimonio t. II. p. 440.

Ergo, si praeter Statum nulla alia adest potestas publica, evidenter voluntas Dei est, ut Status potestatem habeat ad istas res ordinandas necessariam.

Haud minus dubium nobis videtur, quin Status hanc potestatem usque ad promulgationem legis evangelicae habuerit, atque etiam nunc haberet, si forte esset populus, cui lex evangelica nondum sufficienter promulgata esset; licet cum Suaresio (qui occasione sacramenti naturae hanc quaestionem tractat) putemus, ejusmodi populum non jam exsistere.

Dubium vero versatur circa eos ex non baptizatis, qui post legem evangelicam promulgatam vivunt. Pro Sanchesii sententia dici potest: lex evangelica ejusque jus matrimoniale in eos solum habent vim, qui baptismo cives novi regni a Christo fundati, i. e. Ecclesiae, facti sunt; ergo in non baptizatis res manet, uti erat; eorum matrimonium non est sacramentum, sed merus contractus; porro non baptizati, quum nondum sint membra Ecclesiae (saltem generatim loquendo) non alii potestati publicae quam Statuum subsunt: ergo Statui jurisdictio in rebus matrimonialibus non baptizatorum competit.

Pro contraria sententia haec afferri potest ratio: omnis Statuum potestas semper supponit, Deum non alio modo rei providisse; si enim Deus revelatione aliter providit, non possumus inferre, Deum tacite Statui dedisse potestatem, quam alteri (v. g. Ecclesiae) palam et aperte dedit. Ad res autem matrimoniales ordinandas Deus de publica quadam potestate providit, quum Ecclesiam fundaverit, quam ut intrarent omnes obligavit. Jam si non intrant, sibi ipsis imputent, quod sine publica potestate relinquuntur. Unde sequi videtur, potestatem, quam olim habuerunt Status, perire, quamprimum subditi ad ingrediendam Ecclesiam obligantur, i. e. quamprimum lex evangelica promulgatur; non tum solum, quum singuli actu per baptismum in Ecclesiam ingrediuntur. Res igitur similiter se haberet ac sacrificiorum oblatio et sacerdotum institutio: quae Statui esse adempta videntur, simulatque Evangelium promulgatur, non tum primum, quum subditi baptizati sunt.

Nihilominus de veritate hujus sententiae maxime dubitamus. Si enim reapse jurisdictio matrimonialis Statuum jam promulgatione legis evangelicae, non vero baptismo tandem singulorum exstingueretur, ratio esset, quia generatim novus ordo christianus

circa matrimonium ab illa promulgatione inciperet, ita ut v. g. nullum matrimonium esset validum, quod non simul esset sacramentum. Attamen constat, hoc non ita esse; Ecclesia enim matrimonia infidelium generatim semper habebat valida, licet non essent sacramenta. Ergo antiquus ordo promulgatione nondum deletur; ergo neque jurisdictio matrimonialis Statuum exstinguitur eo tempore, sed tunc demum, quum singuli baptizantur.

Cui sententiae favent ea, quae habet Pérocheau: „Prin„cipes saeculares possunt constituere impedimenta irritantia . . . „relative ad validitatem matrimonii, si agatur de matrimonio in„fidelium: huic enim sententiae adhaeret in praxi S. Sedes, quae „. . . declaravit . . . invalida esse infidelium matrimonia, quae „legibus patriae irritantibus adversantur, nisi per consuetudinem „abrogatae fuerint illae leges.“ [1]) Dolemus autem, clarissimum Pérocheau non affere documenta, ex quibus praxis illa S. Sedis probetur. Unde P. Martin S. J. sententiam ejus rejicit, utpote non satis argumentis fultam. [2]) Nobis tamen videtur valde probabile, revera hanc esse praxin S. Sedis, et Statui competere jurisdictionem matrimonialem in infideles, tum quia, uti diximus, secundum jus naturae hanc potestatem habet, et potestas relate ad non baptizatos generatim ex jure naturae judicanda est; tum quia Pius VI., quod supra memoravimus, Statui denegat et soli Ecclesiae tribuit jurisdictionem matrimonialem ob eam rationem, quod matrimonium ad dignitatem sacramenti elevatum sit. Valde igitur pronum est inferre: in eos, quibus nondum elevatum est, i. e. in infideles, Statui etiam nunc concedendam esse hanc jurisdictionem.

Infideles vero hic semper eos intelligimus, qui non sunt baptizati. Qui enim baptizati sunt, sed naufragium circa fidem fecerunt, sive eam omnino abjiciendo, sive haeresim aliquam profitendo, subjecti manent Ecclesiae, Statui subjecti non sunt; nam et eorum matrimonium est sacramentum. Status tamen, uti patet, poterit crimina eorum, quae contra matrimonium committunt, v. g. polygamiam Mormonum, punire, sicut crimina contra religionem punire potest et debet.

7. Quae hucusque diximus, ipsum matrimonium spectant. Nam civiles effectus matrimonii, v. g. circa rem familiarem, ad Statum spectant, etiam in matrimoniis Christianorum. Quod et Pius IX.

1) Pérocheau, Theol. ad usum Mission. Su-tchuensis t. 2. p. 346.
2) Martin, S. J., de matrimonio, Lugduni 1844, t. 2, p. 19.

in literis quibusdam ad Victorem Emmanuelem, regem Pedemontanum, datis pronuntiavit: „Caesar", ait, „retineat quod est Cae„saris, et relinquat Ecclesiae, quod est Ecclesiae. Potestas civilis „condat decreta sua de effectibus civilibus, quae ex matrimonio „oriuntur, sed relinquat Ecclesiae decernere de validitate illius „inter Christianos."

Notandum tamen hic est, quod generatim de Statuum juribus valet: indirecte ea Ecclesiae potestati in res temporales subesse. Insuper ratio ipsa requirit, ut potestas civilis decreta sua de civilibus matrimonii effectibus adaptet legibus, quae de ipso matrimonio valent; ut v. g. non decernat, communionem bonorum conjugalem adesse inter personas, quae revera conjuges non sunt. Hoc esset absurdum.

e. De familia et de scholis. [1])

1. Vidimus relationes Ecclesiae et Statuum ad primum elementum societatis humanae, ad matrimonium; videamus jam, quomodo ad alterum elementum hujus societatis, quod ex matrimonio procedit, se habeant, ad familiam dico, i. e. ad relationes inter parentes et liberos.

Notandum est primo: sicut in matrimonio potissima pars est pars religiosa, similiter in familia, quae ex matrimonio oritur, principatum tenet religio. Unde fit, ut relationes inter parentes et liberos magis Ecclesiae quam Statui subsint, licet forte non ita exclusive spectent ad Ecclesiam, ut relatio inter conjuges, seu matrimonium; quum matrimonium constituat sacramentum, relatio vero inter parentes et liberos non constituat sacramentum.

Attamen potissima pars obligationis et potestatis parentum, quae est educatio, ob aliam rationem maxima ex parte subest Ecclesiae, quia Ecclesia missa est a Christo, ut omnes homines doceret et dirigeret.

Quum de aliis, quae ad familiam spectant, non multa dicenda sint, de hac educatione et praesertim de instructione et de scholis, quae educationi et instructioni inserviunt, accuratius quaedam sunt consideranda. Concurrunt circa ista: parentes, Status, Ecclesia; videamus, quaenam sint singulorum partes.

---

1) Cf. Syllab. 45—48; dein supra p. 98. 99. 146. 158, et libellum auctoris „Die Schulfrage" ed. 2 (Friburgi, Herder, 1877).

2. Parentibus prius, quam Ecclesiae et Statui, est obligatio et jus omne educationis eo sensu, quod parentes jam poterant et debebant liberos educare et instruere, et, si opus erat, scholas adhibere, antequam essent et Status et Ecclesia. Num enim liberi, qui tunc procreabantur, sine educatione manere debebant, donec primus Status oreretur vel Ecclesia fundaretur? Vel num alius nominari tunc poterat, cujus esset, educare et instruere pueros? Parentes igitur habent jus cogendi liberos, ut discant, quae sunt necessaria vel convenientia; habent jus cogendi eos, ut scholam aliquam, quam parentes sibi substituerunt, frequentent; habent jus puniendi liberos, si nolint obtemperare. Sine his enim sana educatio fieri non potest.

Parentes pariter habent jus excludendi omnes alios, qui etiam eorum liberos educare vel alio modo eos in liberis educandis impedire velint, ita ut non eo, qui ipsis rationabilis videtur, modo educentur; secus jus eorum esset illusorium.

Hic tamen conditio quaedam apponenda est: parentibus inest hoc jus excludendi quemlibet alium, nisi ille alius probet, sibi quoque jus quoddam circa liberorum educationem competere.

3. Is, qui nostris praesertim temporibus liberorum educationi per scholas se ingerere summopere nititur, est Status. Videamus, quo jure.

Sane negari non potest, Statui (vel etiam communitati civili) jura quaedam circa liberorum educationem et scholas competere. Ipsius enim est, supplere familiam. Hinc primo parentibus media offerre potest, ut melius et facilius educationi provideant. Quod facit scholas fundando et dotando secundum parentum necessitates et vota. Sed quod ad dotationem vel aliam subventionem scholarum attinet, hanc non poterit praestare, nisi praestatio in utilitatem publicam cedat, in quam non cedit, si jam sufficienter aliunde, v. g. per ordines religiosos de scholis provisum est.

Secundo Status familiam in educandis liberis supplere potest, si opus sit, cogendo parentes negligentes, ut obligationibus suis circa educationem satisfaciant.

Tertio ita potest supplere familiam, ut educationem in se suscipiat, v. g. in orphanotrophiis, si parentes mortui sunt vel aliam ob rationem, ne liberos educent, impediuntur. Hoc tamen supponit, non tantum parentes, sed etiam qui prius quam Status

ad parentes supplendos vocati sunt, nempe cognatos, communitatem civilem et Ecclesiam (ubi adest), educationi deesse.

Jam quaeritur quarto, utrum praeter ejusmodi munus supplendi familiam directe et concurrendo cum familia Statui competat jus educandi liberos, ita ut v. g. parentes cogere possit, ut liberos in certas quasdam scholas, v. g. in eas, quas Status habet, mittant; ut possit sibi exclusive reservare facultatem scholas instituendi, vel in universum educandi et docendi; ut possit generatim exigere certum modum educationis, v. g. per scholas, vel praescribere certam quantitatem rerum, quas omnes discere debeant, praeter absolute necessaria, quae si omitterentur, veram negligentiam saperent.

4. Danton implicite hoc affirmavit, pronuntiando: Infantes esse reipublicae, priusquam essent parentum. Sed nobis omnino negandum esse videtur, Statui competere tale jus directe cum parentibus in liberorum educatione concurrendi; neganda proinde etiam videntur, quaecunque ex tali jure derivantur. Et hoc quidem, quia jus istud prorsus gratis asseritur et nullis solidis fulcitur rationibus.

Sed videamus argumenta, quae afferuntur.

Cousin 1833 in senatu Galliae dixit: „Lex, quae instructionem „elementarem facit obligatoriam, non magis excedere potestatem legis„latoris nobis videtur, quam lex de militia nationali et alia, quam modo „tulistis, lex de expropriatione coacta ob rationes publicae utilitatis. „Si rationes publicae utilitatis legislatori sufficiunt ad dominium „invadendum, cur utilitas multo altioris ordinis ei non sufficiat ad „faciendum, quod minus est, ad exigendum, inquam, ut liberi eam „recipiant instructionem, qua unusquisque indiget, ne sibi et „universae societati humanae evadat nocivus?“ [1])

Hisce ultimis verbis, prout sonant, possemus aliquo modo assensum praebere, scilicet Statum posse exigere, ut liberi quomodocunque recipiant eam instructionem, qua absolute indigent. Sed plus videtur affirmari, licet forte non a clarissimo Cousin, sed ab aliis, qui similibus argumentis utuntur, nimirum: Statum posse exigere, ut quilibet eam recipiat instructionem, quae generatim elementaris vocatur, quaeque hodiedum nonnunquam res valde superfluas atque etiam nocivas continet. Novimus v. g. Statum,

1) Revue des deux Mondes, 1. Junii 1870, pag. 651.

in quo exigitur, ut pueri et puellae rusticorum in instructione elementari addiscant mythologiam Graecam. Videtur praeterea affirmari, Statum posse exigere, ut instructio haec elementaris praecise in scholis ab ipso institutis recipiatur. Hoc autem nequaquam nobis ejusmodi argumentis videtur probatum.

Nam primo: multo gravius laeditur jus parentum, si liberi contra eorum voluntatem in certas quasdam coguntur scholas, quam si dominium alicujus fundi, quo Status indiget, v. g. ad viam ferream exstruendam, ipsis eripitur. Secundo: conscriptio hominum ad militiam est utique gravis quaedam invasio libertatis, aeque gravis fortasse, quam conscriptio liberorum in scholas publicas; ideo ignota est in Anglia et America. Sed justificari potest ex omnimoda necessitate, quia Status, qui eam omitteret, a vicino suo, melius armato, non satis se defendere posset.

5. Sed videamus adversarios Borussicos hac in re. Nam in Borussia magis forte quam usquam Status jura parentum invasit.

Trendelenburg vindicat Statui jus curandi, ut „communes „ideae morales voluntatibus omnium dominentur; . . . ideoque in „Status natura situm est, ut sit educator.“ [1])

At vero negamus prorsus, quod hic asseritur. Verum quidem est, Deum velle, ut sit conformitas aliqua idearum non solum in membris unius nationis, sed etiam in toto genere humano. Sed haec unitas, quantum necessaria est, eo ipso habetur, quod omnes parentes liberos suos in ideis patriae, v. g. parentes Angliae in ideis Anglicis, educare solent. Si vero in Anglia familia quaedam Gallica vel Germanica exsistat, certissime gubernium Anglicum non habet jus mittendi liberos hujus familiae in scholas Anglicas ad ideas Anglicas recipiendas, si forte parentes scholas Galliae vel Germaniae praeferant.

Stahl Berolinensis ait: „Educatio et instructio profluunt „ex patria potestate et profluunt ex potestate Status, illud pro „educatione individuali, hoc pro educatione nationali.“ [2])

Age vero videamus, num hoc sit verum, applicando rem ad materiam similem! Dicamus: „Administratio bonorum et ex dominio, et ex potestate Status profluit, illud in utilitatem individualem (i. e. do-

1) Trendelenburg, Naturrecht auf dem Grunde der Ethik, Lipsiae, 1860, pag. 475.

2) Stahl, Die Philosophie des Rechts. Heidelberg, 1854, t. 2. sect. 1., p. 492.

mini), hoc in utilitatem nationis, cujus interest, ut cives sint opulenti.“ Num hoc admittendum est? Sine dubio interest nationis vel potestatis publicae, ut cives sint divites; sed non ideo illis administrationem bonorum suorum eripere licet, vel exigere, ut illa sic vel aliter administrentur. Ergo a pari: Statuum interest quidem, cives habere morigeratos vel etiam doctos; sed non ideo licet eis, parentibus eripere educationem, vel legem dare, quae certum modum educationis, certas scholas vel magistros adhibendos praescribat.

Addam argumentum mirae simplicitatis, quod profert Juergen Bona Meyer, Professor Bonnensis. Secundum ipsum: „Populus „ipse transfert in Statum jus eique imponit officium promovendi „omnem populi eruditionem et omne bonum sub omni respectu „omnibus Status mediis. Naturaliter igitur gubernio Status „in concordia cum gubernio populari *(Volksregierung)*, parlamento, „jus absolutum competit, assignandi rectam ratione temporis men„suram hujus promotionis obligatoriae,“ [1]) quam, ut hoc per transennam dicamus, Meyer ita intelligit, ut pueri usque ad annum 17. absolutum, puellae usque ad annum 16. absolutum cogendi sint frequentare scholas.

Optimum sane argumentum! Unum tamen interim petimus a clarissimo Meyer: ut nobis scriptum ostendat, in quo coram notario et testibus omnes parentes jus educandi liberos suos in gubernium civile transtulerint. Donec hoc ostendatur, dubitare nonnihil de ista translatione nobis permittat.

Varia haec et satis mira tentamina probandi, Statui simul cum parentibus, vel etiam magis quam parentibus, competere jus educandi et in scholas cogendi liberos, satis ostendunt, jus istud non posse probari, ideoque non adesse. Remanet ergo parentibus libertas et jus educandi et instruendi liberos, quomodo et per quem volunt, modo rationabiliter hoc faciant; secus enim revera Status, utpote superior parentibus, curam liberorum, ut de necessaria educatione provideat, suscipere potest.

Quae libertas hodiedum, proh dolor, secundum principia socialistica, etiam ab iis, qui alias a socialismo abhorrent, nimis saepe laeditur. Socialisticum enim est, ea jura, quae singulis atque familiis competunt, transferre in Statum. Atqui hoc se-

1) „Deutsche Zeit- und Streitfragen“, Jahrg. 2. Heft 19. p. 11 et 64.

cundum illa principia fit relate ad jura, quae Statui sanctissima esse debent, jura, dico, parentum in filios.

6. Rebus inter familiam et Statum ita compositis, accedit Ecclesia, quam Christus Dominus misit, quum diceret Apostolis: „Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos . . . docentes eos „servare omnia quaecunque mandavi vobis.“ [1]) Duo in hoc mandato latent. Primum est: docere fidem, ut baptizentur homines; secundum: docere servare omnia, quae Christus mandavit, i. e. dirigere mores. Ecclesiae igitur totius generis humani, etiam infantium, instructio et educatio quoad fidem et mores, seu quoad partem religiosam, a Christo commissa est.

Exsurgit jam iterum eadem relatio, quam saepius vidimus: Tota educatio quoad fidem et mores, seu religiosa, directe subest Ecclesiae; sed quum educatio religiosa sit pars longe gravissima totius educationis omnisque instructionis, indirecte Ecclesiae omnis reliqua educatio et instructio subjicitur. Jam utrique juri, tum directo tum indirecto, immediate subsunt et obedire tenentur ipsi infantes; Ecclesia enim, quantum de rebus religiosis agitur, est quasi mater liberorum, quos per baptismum genuit. Subsunt item utrique juri parentes ita, ut omne jus educandi, quod habent, sive directe sive indirecte ab Ecclesia dependeat. Subsunt communitates civiles, subest denique et ipse Status, ut tum in scholis, quas omnibus aperit, tum in iis scholis, quibus Status adolescentes instruit servitio suo destinatos, Ecclesia directe quoad fidem et mores, indirecte quoad alia se ingerere possit, ne fides vel mores ex malis magistris, malis libris, malis sociis, ceteris detrimentum capiant.

E contrario: scholae, quas ipsa Ecclesia sive per Episcopos sive per Ordines religiosos instituit, nullatenus potestati civili subsunt. Nullum enim, ut probavimus, est jus potestatis civilis circa sacra, et ista ratio fovendi sensus nationales, vel similia argumenta, quae adducuntur, ut jus illud circa sacra probetur, omnimodam Ecclesiae libertatem, infantes suo modo docendi et in aeternae salutis via ducendi, destruere non valent. Ipsa ut mater infantes docet, ipsa potestate sua legifera judiciali et executiva omnia, quae hac in re potestate publica sunt ordinanda, libere ordinat. Statuum est, Ecclesiam, quantum ipsa desiderat, brachio suo saeculari adjuvare.

1) Matth. 28, 19. 20.

7. Quodsi Ecclesia libera prorsus est in instruendis et educandis fidelibus universim, multo magis libertas ipsius asserenda est, ubi agitur de clero educando et ad sacrum officium suum informando.[1])

Praeclare hac de re S. D. N. Leo XIII. in Encyclica *Jampridem Nobis* die 6. Januarii 1886 ad Archiepiscopos et Episcopos Borussiae scribit:

„Vos autem, Venerabiles Fratres, non ignari estis, quae sit „intima Ecclesiae natura, et qualem ipsam divinus ejus conditor „constituerit, quaeque jura exinde dimanent, quorum vim convellere „aut detrectare nemini licet. Nimirum, uti Nos ipsi litteris Nostris „encyclicis *Immortale Dei* nuperrime declaravimus, Ecclesia societas „est supernaturalis atque in suo ordine perfecta. Quemadmodum „enim id sibi propositum habet, ut filios suos ad aeternam beatitu„dinem adducat, ita divinitus datis praesidiis et instrumentis est „praedita, quibus eos aeternorum bonorum compotes faciat, inceptans „in terris et in hujus vitae militia aedificium, quod supremum „fastigium supremumque decus est habiturum in caelis. Ad solam „autem Ecclesiam pertinet statuere de iis, quae interiorem ejus „vitam spectant, cujus ratio a Christo Domino restitutore salutis „nostrae fuit constituta. Hanc potestatem liberam et nemini ob„noxiam unum penes esse Petrum et successores ejus Christus „jussit, ac sub auctoritate et magisterio Petri penes esse Episcopos „in suis cujusque Ecclesiis: quae Episcoporum potestas naturâ suâ „disciplinam Cleri, tum in iis, quae ad sacra munera, tum in iis, „quae ad sacerdotalis vitae rationem pertinent, praecipue complec„titur; *presbyterium enim Episcopo coaptatum est sicut chordae citharae.*[2])

„Cum porro sacerdotalis ordo, tam sublimis ministerii heres, „aliis post alios succedentibus, nunquam sui dispar saeculorum „cursu renovetur, cumque opus sit, ut qui in hunc ordinem vocati „sunt, sinceritate doctrinae et innocentia vitae, quantum fieri potest, „eorum vestigiis insistant, quos Christus primos fidei satores

---

1) Haec quaestio gravis, maxime in Borussia post leges anno 1873 latas agitata, uberrime tractata est in libro „De instructione et educatione clericorum“ scripto ab Irenaeo Themistore linguâ germanicâ, cujus nuper prodiit versio gallica, appendice aucta, sub titulo: „L'instruction et l'éducation du clergé. Étude comparative des principes catholiques et des exigences formulées par les lois de mai. Par Irenée Thémistor.“ (Pages XX et 400. Trèves, Dasbach et Keil, 1884.)

2) Ignat. M. Ep. ad Ephes. c. 15.

„elegit, nemini dubium esse potest, non aliis quam Episcopis jus „munusque esse docendi et instituendi juvenes, quos Deus singulari „beneficio ex hominibus assumit, ut sint ministri sui ac dispen„satores mysteriorum suorum. — Ac sane, si ab iis quibus dictum „est, *docete omnes gentes*, religionis doctrinam homines debent „excipere, quanto validiori jure ad Episcopos cura pertinet, eâ „quam potiorem duxerint ratione, eorumque docentium ope quos „maxime probaverint, sanae doctrinae pabula tradendi iis, qui pro „suo ministerio sal terrae futuri sunt, et pro Christo apud homines „legatione functuri? Nec solum hoc gravissimo munere obstrin„guntur Episcopi, sed eo insuper, ut vigilantiam suam bono alum„norum sacri ordinis impertiant, eosque mature imbuant solidae „pietatis sensibus, qua dempta, nec ii sacerdotii honore digni sunt, „nec muneribus ejus rite implendis pares esse possunt.

„Vos certe, Venerabiles Fratres, ratione atque experientia edocti, „optime nostis, quam arduum sit, quam diuturni laboris opus tales „juvenes fingere et instituere. Cum enim qui primoribus annis „Deum elegerunt in hereditatem suam, ex Apostolorum Principis „praecepto teneantur se ipsos vivam virtutis continentiaeque „formam oculis christiani populi exhibere, ii mature discant oportet, „sub magisterio Episcoporum ac delectorum moderatorum disciplina, „cupiditatibus suis dominari, terrena despicere, caelestia appetere, „quorum et cogitatione muniti et amore inflammati, facilius possint „inter mundi corruptelas caste integreque versari. Oportet insuper „ut cito assuescant, constanti et impavido esse animo in munere „explicandae populis tuendaeque catholicae veritatis, quam mundus „spernit ac pertinaci odio prosequitur. Quid sane, Venerabiles „Fratres, expectandum esset, si cum tempora incidunt, quae vehe„mentiorem postulant pro tuenda Ecclesiae caussa dimicationem, „sacri ordinis viri, sanctae disciplinae et caritatis ope, in id „jampridem comparati non sint, ut Episcopis suis cum fide „adhaereant, eorum excipiant voces, et aspera quaeque pro Jesu „Christi nomine perferre non vereantur? Scilicet juvenilium „annorum disciplina, quae in Seminariis aliisque sacrae institutionis „sedibus traditur, ea est, qua sacrorum alumni, procul ab huma„narum curarum aestu, ad apostolica ministeria rite obeunda infor„mantur, et ad quaeque vitae incommoda atque ad omne laborum „genus laeto animo subeundum in salutem animarum. Ea est „quae efficit, vigilantibus ac praesidentibus Episcopis delectisque

„ab iis presbyteris diuturna sacrae disciplinae peritia spectatis, „ut alumni discant aequa lance metiri vires suas et, quid ipsae „valeant, agnoscant: ac Pastores vicissim, compertis cujusque „ingeniis et moribus, scienter decernere possint, qui sint ex iis „sacerdotii honore digni, et cavere, ne quis immerito aut praepostere „sacris ordinibus initietur. At qui poterunt hujusmodi salutares „fructus haberi, nisi plena sacris Pastoribus sit facultas impedi- „menta removendi et opportunis ad id assequendum utendi prae- „sidiis? — Qua in re, quoniam nationis vestrae homines, praeter „alia ornamenta, armorum quoque gloria excellunt, passurine „unquam essent qui rei publicae praesunt, ut qui juvenes rudi- „menta militiae ad ducendos ordines et bellica munera administranda „in militaribus institutis accipiunt, ab aliis potius quam a peritis „bellicae artis scientiam armorum ediscerent, atque ab aliis magis „quam ab idoneis militiae magistris disciplinam castrorum, usum „rerum et martios spiritus haurirent?

„Ex his facile intelligitur, cur a vetustissimis Ecclesiae tem- „poribus Romani Pontifices et catholici Episcopi omnem curam „gesserint, ut candidatis sacri ordinis contubernia constituerent, „in quibus eos aut per se ipsi, aut probatis adhibitis magistris, „quos interdum e sacerdotibus Cathedralis Ecclesiae legebant, ad „litteras, ad severiores doctrinas et praecipue ad mores sua „vocatione dignos excolerent. Adhuc hominum memoria celebrantur „domus olim ab Episcopis et coenobitis clericis excipiendis apertae, „atque inter eas illustris adhuc fama viget Patriarchii Lateranensis, „ex quo, velut ex arce sapientiae et virtutis, Pontifices maximi „et Antistites sanctimonia ac doctrina clari prodierunt. Ac tanti „momenti hoc studium accuratae diligentisque clericorum disciplinae, „et tam necessarium visum est, ut jam inde ab initio saeculi sexti „Synodus Toletana, *de iis quos voluntas parentum a primis infantiae „annis clericatus officio manciparat*, statuerit *observandum ut mox „cum detonsi vel ministerio lectorum contraditi essent, in domo Ecclesiae „sub Episcopali praesentia a Praeposito sibi deberent erudiri.* — Inde „liquet, quam gravi justaque de caussa vehementer contendamus, „vestrarum Dioecesium Seminaria ad eas normas constitui, ordinari „atque componi, quas Concilii Tridentini Patres, ut notum pervul- „gatumque est, tradidere. Nec alia profecto fuit caussa, cur „Apostolica Sedes, cum inter romanos Pontifices et supremos rerum „publicarum Moderatores pactionum foedera pro variis temporum

„rationibus inita sunt, diligenter in iis cautum consultumque sacris „Seminariis voluit, et Episcoporum jus in iis regendis, alia quavis „potestate exclusa, sartum tectumque esse curavit. Cujus rei per- „spicuum inter alia documentum praebent Apostolicae litterae, „quarum initium *De salute animarum*, quae a fel. rec. Pio VII. „Decessore Nostro die decima octava Julii anno 1821 editae „fuere, conventione ab Eo inita cum Borussiae Rege, in qua de „nova Dioecesium descriptione agebatur.

„Sit igitur integrum, sit liberum jus et potestas Episcopis in „Seminariorum palaestra mansuetae Christi militiae fingendae „conferre operam; sit integrum sacerdotes judicio suo deligere „alios aliis ministeriis praeficiendos, ac nulli impedimento obnoxios „pastorali suo munere tranquille perfungi."

8. Sana haec principia utinam ubique agnoscerentur! Forte in nulla alia re, quam in liberorum educatione, tanti momenti est, ut agnoscantur. Primas enim partes in omni educatione tenere debet religio; atqui religio tota quanta subest Ecclesiae. Ecclesiae igitur multo magis est, quam Statuum, publicas erigere scholas, tum elementares, tum superiores, imprimis universitates; nam etiam inter diversas universitatum facultates profecto theologia principatum tenere debet.

Dein quoad res non religiosas nullibi forte evidentius est, Ecclesiae jus indirectum in res profanas competere. Secus enim aut religio rebus prorsus inferioribus subordinaretur, aut iis ita coordinaretur, ut educatio et ipse infans duabus educationibus inter se independentibus, quae se invicem forte oppugnarent et destruerent, in duas quasi partes discerperetur.

Quanti haec res vel ab ipsis religionis christianae inimicis aestimetur, ostendunt verba, quae Ferry, minister instructionis publicae in Gallia, die 6. Martii 1880 protulit: „Pugna est inter „gloriosam (!) revolutionem nostram et Syllabum. Proinde in ad- „jutorium nostrum vocamus omnes, qui nobiscum sentiunt, animas „juventutis Gallicae non debere confidi illis, qui, quum Syllabo „adhaereant, adversarii capitales sunt revolutionis."

9. Quae quum ita se habeant, sponte oritur quaestio, quid faciendum sit parentibus. Quum ipsis obligatio incumbat curandi, ut liberi ante omnia in fide catholica et bonis moribus educentur utque corruptio fidei et morum ab ipsis arceatur, accurate circumspiciendum est, quomodo huic officio sanctissimo satisfaciant.

Possunt vel ipsi per se educationem curare simul cum Ecclesia et dependenter ab illa. Possunt quoque suas partes alteri delegare, v. g. scholae cuidam sive publicae sive privatae; quodsi faciunt, prius certi esse debent, scholam istam esse bonam, ita ut tuto liberos illi committere possint. Neque excusantur, si forte potestas publica mulctis impositis parentes cogat, mittere liberos suos in scholas publicas civiles; debent enim tunc potius mulctas illas subire, quam fidem vel mores liberorum periculo exponere. Nullam in hac re potestati publicae civili obedientiam debent, quum potestas illa limites suos excedat; ideoque huic potestati praesumptio, scholas ejus esse bonas, non favet; hinc parentum erit, de statu scholarum publicarum civilium accurate se informare, priusquam liberos eis confidant.

f. De Congregationibus religiosis, sodalitatibus piisque institutis.

Congregationes religiosae, sodalitates, orphanotrophia, hospitalia similiaque instituta familiam maxime iis, qui modo aliquo perfectiore se Deo consecrare volunt, vel etiam iis, qui casu quodam familiae adjumento carent, quasi supplent et imitantur.

Ad instar familiae in hisce quoque institutis plus minusve character religiosus praevalet charactere civili.

1. Religiosae imprimis Congregationes totae quantae ad potestatem ecclesiasticam spectant et a potestate civili immunes sunt, nisi ipsa forte Ecclesia per Concordata quaedam, vel alio modo, jurisdictionem in illas earumve membra et bona Statui concesserit. Utrum istae societates merae societates singulorum maneant, an unam quandam personam moralem constituant, pendet a dispositione Ecclesiae. Status eas non potest dissolvere, non exigere, ut statuta earum sibi communicentur, non subjicere illas vectigalibus publicis, non restringere eas in receptione vel professione membrorum; verbo: non subsunt jurisdictioni civili.

2. Idem de sodalitatibus religiosis laicorum, v. g. de tertio Ordine Sancti Francisci vel de Congregationibus Marianis valet. Finis enim earum est religiosus, et ex fine, non ex qualitate membrorum, dijudicandum est, utrum natura alicujus societatis sit religiosa an profana; utrum proinde jurisdictioni ecclesiasticae an civili subsit. Illud solummodo discrimen est inter Congregationes religiosas et sodalitates laicorum, quod in Congregationibus sin-

gula quoque membra, utpote ad clerum sensu latiori spectantia, immunia sunt a jurisdictione civili, in sodalitatibus vero laicorum non sunt.

In alias societates magis profanas v. g. operariorum, mercatorum et similes Ecclesia generatim non habebit nisi potestatem indirectam, i. e. in tantum se ingerere poterit, in quantum fides vel mores hoc forte exigent.

3. Orphanotrophia, hospitalia aliaque hujus generis instituta directe Ecclesiae in rebus religiosis, indirecte in rebus profanis subsunt, quantum scilicet sermo est de jurisdictione quadam publica in illa instituta exercenda. Nam potestas privata seu domestica, uti patet, competit ei, qui ista fundavit, vel cui fundator ipsa regenda commisit. Sed quum plurima ejusmodi instituta ab ipsa Ecclesia vel a Congregationibus ecclesiasticis fundata vel a fundatore Ecclesiae commissa sint, eo sensu magis proprio saepissime instituta sunt ecclesiastica, ut domesticae Ecclesiae potestati similiter ac v. g. seminaria subsint; hinc similiter ac seminaria vel ipsâ naturâ suâ, vel ex Ecclesiae dispositione immunitate fruuntur.

4. Leges civiles, quae spreta immunitate in res sive societatum religiosarum, sive horum institutorum se ingerunt, sunt nullae et pro rerum adjunctis auctores suos censuris ecclesiasticis exponere possunt. [1])

Quaeri hic potest, num Status possit aut debeat similia instituta fundare. Potest sine dubio, si nullae ad hoc faciendae sunt impensae. Si vero necessariae sunt impensae, distinguendum est: aut adest necessitas quaedam publica, ut institutum ejusmodi erigatur, aut non. Si non adest, i. e., si superfluum videtur v. g. propterea, quod ab Ecclesia vel a Congregationibus jam satis provisum sit, Statui non licet impensas facere ad nova instituta erigenda; impensa enim tandem in subditos, quorum est vectigalia solvere, refunduntur; vectigalia autem in res inutiles impendere Statui non licet. Sin autem adest talis necessitas (cujus nomine etiam utilitatem relate ad impensas rationabilem intelligimus) certe poterit, atque adeo, si necessitas sit urgens, debebit fundare hujus generis instituta, ut orphanis, pauperibus, infirmis vel aliis indigentibus provideatur.

1) Cf. Syllab., 52. 53 (supra p. 142); dein Const. Pii IX.: „Apostolicae sedis“ d. 12. Oct. 1869: excom. spec. modo Rom. Pont. reserv. § 6. 7; dein supra p. 166-170.

Experientia tamen docet, omnia ista multo melius ab Ecclesia ejusque Congregationibus religiosis, quam a potestate civili, institui et administrari. [1])

g. De sepultura. [2])

1. In sepultura apud omnes fere populos semper aliquid religiosi agnoscebatur. Etiam jus Romanum, postquam naturam suam ad unam nationem, i. e. Romanorum, adstrictam magis magisque deposuit et singulas suas partes juxta indolem juris gentium transformavit, nihilominus etiam tum eum locum, in quo corpus humanum sepultum erat, habebat religiosum.

Magis etiam ortâ et propagatâ religione christianâ agnoscebatur religiosa natura sepulturae. Catacumbae simul et sepulturae fidelium defunctorum et peragendo cultui divino vivorum inserviebant; super martyrum sepulturas religionis christianae sacrificium offerebatur. Praeterea gravissima erat ratio, cur religiosa haberentur corpora et sepultura eorum, qui baptismate membra corporis mystici Domini nostri facti erant, qui toties verum corpus ejus receperant, qui in communione fidelium obdormierant, qui carnis resurrectionem exspectant in fine saeculi.

Sed etiam ratione vivorum bonum et congruum est, coemeteria haberi religiosa. Etenim quum religio catholica nos doceat orare pro defunctis, quid naturalius est, quam nos ibi orare, ubi pater vel mater vel alii propinqui vel amici, pro quibus oramus, sub crucis umbra sepulti jacent! Quid porro naturalius, quam coemeteria esse prope Ecclesiam, in qua sanctum missae sacrificium quotidie offertur; ut ibi quasi intervallum constituant, quod Ecclesiam a strepitu vitae profanae separet, ut intrantes et transeuntes commonefaciant de caducae hujus vitae brevitate!

2. Rationibus modo allatis patet, coemeteria jurisdictioni illius ex duabus potestatibus publicis subesse, cujus est, res publicas religiosas ordinare, i. e. Ecclesiae. Id valebit etiam tunc, si dominium privatum coemeterii forte non Ecclesiae, sed personae alicui singulari vel communitati civili vel Statui competat. Id valebit eo magis, si privatum quoque coe-

1) Cf. Ehrle, S. J., „Beiträge zur Geschichte und Reform der Armenpflege“ (Friburg. 1881).

2) Cf. „Stimmen aus Maria-Laach“, t. X, p. 47—67.

meterii dominium spectet ad Ecclesiam, sicut usque ad recentiora fere ubique fuit tempora. Hinc factum est, ut secundum ea, quae de immunitatibus diximus, Ecclesia coemeteria immunitate tum reali tum locali immunia redderet.

Neque rationes utilitatis publicae civilis, v. g. quae ad valetudinem tuendam spectant, ullum dant potestati civili jus, per legislationem vel administrationem ingerendi se in ea, quae ad coemeteria pertinent; sed, ut in rebus similibus jam diximus, si quid est, quod nocivum videatur, si v. g. timetur, ne evaporationes coemeterii noceant viventibus, potestatis civilis erit, adire potestatem ecclesiasticam, de ista re monere atque rogare, ut melius provideatur. Ecclesiae certe non minus viventium valetudo curae est quam Statui, et aeque bene, ac civilis, ecclesiastica potestas medicos adhibere poterit et illis adhibitis judicare, quid sit faciendum. Ultima autem decisio, quum de re religiosa vel summum de re mixta agatur, semper erit penes Ecclesiam.

Sed et hic iterum videmus, Statum nostris temporibus Ecclesiae territorium invasisse et contra jus sibi coemeteria eorumque curam vindicasse, v. g. vetando, ne juxta Ecclesiam haberentur, et exigendo, ut longe a civitatibus abessent. Valetudo dabat praetextum, sed ratio movens forte saepissime erat, ne mortis memoria hujus vitae libidines perturbaret.

Res discussa est die 20. Januarii 1883 in Parlamento Germanico, et Dr. Lingens, deputatus catholicus, ostendit, generatim vana esse, quae de nocivis coemeteriorum effectibus timerentur. Provocabat ad inquisitiones Parisiis, Hamburgi, Monaci et Lipsiae recenter factas, quae fere haec ostenderunt: 1) coemeteria non nocere salubritati domorum vicinarum, 2) non necessario corrumpere aquam, quae in illis hauritur, 3) terram procedente tempore non nimium impleri iis substantiis, quae ex corporibus remanent. Generatim autem, si noceant coemeteria, id imprudentiae in eligendo loco vel in sepeliendo adscribendum esse.

3. Itaque quum coemeteria ad res religiosas pertineant, jus publicum Ecclesiae violatur, si Status jurisdictionem ecclesiasticam hac in re invadit; violatur insuper jus privatum Ecclesiae, si coemeteria in dominio privato Ecclesiae versantur. Triplex autem habetur juris violatio, si Status legibus suis coemeteria ecclesiastica in civilia, in quibus omnes permixtim sepeliri debeant, commutat: invadit enim jurisdictionem Ecclesiae,

invadit dominium privatum Ecclesiae, invadit libertatem singulorum, quum eos sepeliendos curat, non ubi ipsis videtur, in coemeterio benedicto et inter fideles, vel etiam juxta Ecclesiam, sed in medio fortasse infidelium et Judaeorum. Ratio talis violentiae non solet esse sincerum utilitatis publicae studium, sed tyrannis quaedam, quae se „liberalem" dicit quaeque nomen christianum et omnia, quae christianismum sapiunt, e vita publica populorum removere studet.

h. De bonis externis.[1])

1. Per totum hujus libelli decursum id extra omne dubium esse positum videtur: Ecclesiam catholicam ita a Christo Domino fundatam esse, ut sit societas visibilis, quae habeat superiores et officiales visibiles, visibilia templa, cultum visibilem, visibilia sacramenta, quae proin ad sustentanda illa omnia bonis indigeat externis non minus quam Status vel Synagoga veteris testamenti. Ostendimus insuper, Ecclesiam vi institutionis Christi societatem esse perfectam, i. e. a Christo omnem, qua indigeat, potestatem accepisse, ita ut non cogatur facultates suas juridicas a potestate civili quasi mendicare. Sequitur, Ecclesiam etiam relate ad bona externa omnem habere potestatem, qua ad finem suum convenienter assequendum egeat. Atque adeo S. Paulus in re huc spectante ad expressam ordinationem Christi provocat; dicit enim: „Nescitis, quoniam qui in sacrario „(veteris testamenti) operantur, quae de sacrario sunt, edunt, et „qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus „(in novo testamento) ordinavit iis, qui Evangelium „annuntiant, de Evangelio vivere."[2])

Quare rejecta est a Pio IX. propositio: „Ecclesia non habet „nativum ac legitimum jus acquirendi et possidendi."[3])

2. Sed unde Ecclesia sumet, quae ad clerum sustentandum, ad templa erigenda, ad cultum divinum necessaria sunt? Unde, nisi ab iis, quorum causa omnia ista requiruntur, i. e. a fidelibus? Itaque Ecclesia habet jus, servatâ justitiâ distributivâ, imponendi fidelibus vectigalia publica ecclesiastica.

1) Cf Lehmkuhl S. J. in „Stimmen aus Maria Laach", 1875; t. VIII. pag. 258. 431. 512; t. IX. pag. 56.

2) 1. Corinth. 9, 13. 14.

3) Syllab. 26.

Similis singulorum obligatio jam in vetere testamento constituta erat a Deo; praeceperat enim, ut decimae ab omnibus solverentur. Eandem formam decimarum Ecclesia quoque quoad vectigalia sua elegit. Quodsi decimae non ubique exigebantur, et si v. g. S. Bonifacius a Summo Pontifice petiit, ut terrae ab ipso ad fidem conversae liberae manerent a decimis, id non est factum, quia Ecclesiae deerat jus imponendi decimas, sed ut Evangelii praedicatio minores apud homines inveniret difficultates. Simili prorsus modo S. Paulus, postquam sibi jus vindicavit de Evangelio vivendi, continuo addidit: „Ego autem nullo horum usus sum.“ [1])

Contigit, ut Ecclesiae fere nunquam jure suo utendum esset, quia fidelium amor necessaria subministrare solet. Jam in Actibus Apostolorum legimus, fideles vendidisse quae habebant et pretium ad pedes Apotolorum, ut de eo disponerent, contulisse. Sed et nunc v. g. in Anglia, in Statibus Unitis Americae et in plurimis missionibus Ecclesia de spontaneis fidelium oblationibus vivit; sic etiam in Borussia, quum paucos abhinc annos Status sacerdotibus, ad quae ex contractu obligabatur, solvere recusaret, Catholici sponte cum gaudio et liberalitate sacerdotibus suis ea, quibus indigebant, subministrabant.

3. Jus vectigalia imponendi non est nisi unus effectus potestatis illius, quae generaliter circa bona externa inest Ecclesiae. Alius effectus est jus expropriandi.

Quis enim dubitat, quin Statui nonnunquam sit jus exigendi a subditis, licet invitis, ut v. g. fundum aliquem (utique soluto pretio) potestati publicae cedant? Quod jus nisi adesset, unius hominis obstinatio cum ingenti damno publico posset impedire, ne v. g. via ferrea quaedam aedificaretur. Attamen bonum privatum publico hic cedere debet.

Quod si hoc de bono publico profano et de potestate publica civili valet, certe multo magis etiam de bono publico spirituali et de potestate publica religiosa affirmandum est. Est igitur Ecclesiae quoque jus expropriandi, si forte necessitas publica, v. g. in aedificanda Ecclesia, id exigit.

4. Ulterior effectus potestatis Ecclesiae circa bona externa ejusque omnimodae independentiae est is, ut Ecclesia independenter ab omni potestatis civilis interventione bona sua administret.

1) 1. Corinth. 9, 15.

Ecclesiam habere „nativum ac legitimum jus acquirendi ac „possidendi“ [1]), i. e., ut juridice loquamur, habere personam standi in judicio, seu esse et ipsam personam moralem, non meram societatem singularum personarum physicarum, evidenter patet ex eo, quod Christus fundavit eam tanquam corpus morale ultra unius generationis tempus permansurum. Ea vero, quae possidet, et ipsam posse administrare, sequitur ex eo, quod quilibet dominus jus habet administrandi sua. Jam omnino independenter Ecclesiam sua administrare, ex eo fluit, quod generatim nulla est juridica Ecclesiae a Statu dependentia, nullum jus circa sacra. Aliae personae, sive physicae sive morales, potestati civili in administratione bonorum suorum subsint, ita ut Status suppositis supponendis eis v. g. curatorem dare possit: Ecclesia non subest; est enim, quod jam vidimus, „vera perfectaque societas plane libera“ (Syllab. 19); et si forte (ut cum Bulla *Unam sanctam* loquamur) minor potestas ecclesiastica deviat, si v. g. parochus expensas inutiles facit, non a potestate civili, sed a potestate ecclesiastica superiore, i. e. ab Episcopo corrigendus est; si deviat superior (v. g. Episcopus), corrigendus est a suprema potestate, a Summo Pontifice. Potestati autem civili nullus locus relinquitur, sed Ecclesiae est, cum omnimoda independentia administrare sua bona. Minus absonum esset, si Ecclesia officialibus civilibus, qui bona fisci administrant, invigilare vellet, quam si Status per officiales suos bonorum ecclesiasticorum administrationi, quae ad Episcopos, Parochos, Superiores Congregationum religiosarum, alios pertinet, invigilare, vel alio modo se ingerere tentat.

5. Ex omnimoda independentia Ecclesiae sequitur et illud, Statum nullo modo de bonis ecclesiasticis posse disponere, decernendo v. g., ut campanae Ecclesiarum etiam usui civili inserviant; ut aedificia ecclesiastica certis horis cultui religioso alterius cujusdam religionis relinquantur. Sequitur et hoc, Statum non posse restringere Ecclesiam ad certam in bonis acquirendis quantitatem. Saepius conati sunt Status impedire „manum mortuam“, quam vocant, ne plus, quam ipsis bonum videbatur, acquireret. Praetextus erat, quod magnae possessiones in „manu mortua“ nocerent bono publico. Quod utrum verum sit, nolumus hic dijudicare. Sed si verum est, Status Ecclesiam ex sua potestate restringere non potest, quia non est ejus superior, imo vero eâ

1) Syllab. 26.

inferior. Unum, quod ei restaret, esset, ut Ecclesiam adiret, ei rationes suas exponeret et ab Ecclesia expeteret, ut ipsa de illo damno vitando provideret.

6. Vidimus, Ecclesiam eo ipso, quod ut societas independens fundata est, personam esse moralem seu subjectum juris. Sed potest insuper etiam alias constituere personas morales, v. g. singulas dioeceses, paroecias, monasteria, hospitalia. Nullo enim dubitante Status societates vel instituta profana personalitate morali donare potest: cur igitur non Ecclesia idem potest, ubi de societatibus vel institutis religiosis agitur? Num hic minus opus est, ut sit stabile quoddam subjectum juris, quod maneat, etiamsi singula societatis membra mutentur? Quomodo v. g. Ecclesia aliqua parochialis vel monasterium convenienter exsistere posset, si non posset contractus inire vel fundos possidere? Non sufficit, ut Parochus vel Abbas possideat pro paroecia vel pro monasterio; tunc enim defuncto Parocho omnia ad haeredes Parochi pervenirent, et non manerent Ecclesiae parochiali. Opus igitur est, ut ipsa Ecclesia possideat, utique mediante Parocho, sed ita ut Parochus non suo, sed Ecclesiae nomine possideat.

Hic objici potest: Sufficit, si tota Ecclesia universalis sit una persona moralis, ad quam jura et obligationes omnes singulis paroeciis, monasteriis vel aliis institutis ecclesiasticis inhaerentes, spectent, ita ut non sint creandae novae personae morales.

Respondemus distinguendo: hoc sufficeret absolute, concedo; hoc sufficit, ut convenienter instituta ista exsistant, nego. Neque enim minus singulis institutis ecclesiasticis opus est personalitate morali, quam institutis profanis, v. g. societatibus ad assecurandas domus contra incendii damna. In his autem ea adest necessitas, ut omnibus consentientibus Statui tribuatur jus concedendi illam personalitatem; ergo eadem necessitas sufficiet, ut Ecclesia ecclesiasticis institutis hanc personalitatem concedat.

Personalitas igitur moralis, quae institutis ecclesiasticis inest, non ex concessione potestatis civilis, sed ex concessione potestatis ecclesiasticae oritur.

7. Unde efficitur, institutorum istorum suppressiones a potestate civili factas, quibus nomen saecularizationis datum est, esse invalidas.

Sane indignationem movet, videre tales injustitias. Pia religiosorum industria steriles quondam agros mutaverat in fertiles,

libros et artis monumenta magna diligentia comparaverat, et en! Status monasterium saecularizat; ejiciuntur religiosi, libri pretiosissimi (ut nuper Romae factum est) pondere veneunt lacerandi, reliqua bona similiter dissipantur. Religiosi vel religiosae, antequam monasterium ingrederentur, magnas forte habebant opes, quas freti legibus tum vigentibus pauperibus vel ipsi huic monasterio donaverunt, ut quiete inter monasterii septa reliquam possent degere vitam. Senes jam sunt, sed violenter nunc ejiciuntur; non redduntur illis pecuniae, quas attulerant, sed partim vel etiam omnino eleemosynis victitare coguntur. Bona enim monasterii occupata sunt a Statu.

Nihilominus jurisprudentia et ars politica „liberalis" haec omnia decernit et laudat. Et cur non laudet? Jurisprudentia enim liberalis non est violata: puella, quum fieret religiosa, opes suas donavit monasterio; monasterium nonnisi ex civilis potestatis concessione erat persona; concessione hac revocata jam cessat esse persona, et bona ipsius res fiunt nullius; res nullius occupandae sunt a Statu. Quid ergo desideratur in justitia totius causae?

Ast desiderantur haec:

Primo: Monasteria, paroeciae aliaque instituta ecclesiastica personalitatem suam non a Statu, sed ab Ecclesia acceperunt, et id nonnunquam multis saeculis prius, quam Status, qui nunc sunt, essent. Si Status ex sua quoque parte hanc personalitatem agnoscit, facit, quod debet; si non agnoscit, personalitas non ideo desinit esse; hinc revocata hac agnitione, bona monasterii non fiunt res nullius.

Hoc valet secundum illam, quae nobis omnino videtur tenenda, sententiam: singula instituta (monasteria etc.), non tantum Ecclesiam universalem, suam habere personalitatem. Hoc vero magis etiam valeret, si quis diceret, unicam personam, quae bona ecclesiastica possideret, esse Ecclesiam universalem, ita ut singula instituta non proprio nomine, sed nomine Ecclesiae universalis possiderent. Etenim si Status absone agit, quod singulis istis institutis, in territorio ipsius sitis, eam, quam ab Ecclesia habent, personalitatem adimit: magis etiam absone ageret, si Ecclesiae universali personalitatem illam, quam a Christo Domino nostro accepit, et quae super omnes mundi partes extenditur, eripere tentaret.

Sed secundo, si res monasterii revera ob rationem aliquam res fierent nullius, dispositio, quid de iis statuendum esset, ut

patet, publicae potestati, non civili, sed ecclesiasticae competeret. Ecclesiae igitur esset, decernere, ad quem jam usum adhiberentur; ipsa certe assignaret finem, fini primitivo similem et utilitati publicae religiosae maxime inservientem.

Possumus addere tertio: etiamsi de institutis ageretur profanis, quae a potestate civili penderent, ita ut ab hac dissolvi possent, tamen tum ratio tum honestas suaderent, ut non dissolverentur nisi ob causam omnino urgentem. Secus fiducia in publicae potestatis fidem maximum acciperet damnum. Subditi enim, hac fide ducti, institutum illud fundarunt et bonis suis donarunt; jam vero, si Status institutum illud supprimeret, se quasi deceptos viderent.

Sed supponamus quarto insuper, Statum non solum ejusmodi instituta absolute dissolvere posse, sed propter mutata tempora adesse rationes urgentes, ut reapse dissolvat. Num bona vacantia in suos fines ad libitum impendere poterit? Nonne saltem honestas suadebit, ut ea, quantum fieri potest, illis, qui illa dederunt, vel eorum heredibus, restituat? ut, si neque hoc fieri potest, illa pro viribus in ejusmodi fines, qui sint finibus a donatoribus intentis maxime propinqui, impendat?

Addamus quinto: ea saltem pars finis primarii implenda esset, quae impleri potest. V. g. si monasterium supprimeretur, curandum esset, ut missae in monasterio fundatae ab aliis dicerentur.

Praesertim sexto jura singulorum religiosorum, qui adsunt, dum monasterium supprimitur, negligi non deberent. Licet enim voverint paupertatem, tamen non omni jure carent, sed generatim a monasterio vel communitate religiosa alendi sunt (apud Benedictinos etiam, ut in hac certa domo convenienter alantur, postulare possunt). Quod jus saltem relate ad bona, quae forte fiant vacantia, remanere videtur, ita ut haec bona in nullum alium usum possint impendi, nisi prius satisfactum sit juri singulorum religiosorum.

Sed Status „liberales“ ista omnia videntur ignorare. Occupant monasteria, quae olim agnoverant; expellunt religiosos, non reddunt, quae illi, fidentes ordini publico, monasterio donaverant; dant illis forte alimenta maxime exigua, quibus vix famem explere possunt — omnia ad humanitatem et progressum generis humani ac „liberalitatem“ promovendam!

8. Patet, Statum non fieri dominum bonorum eorum, quae sine titulo legitimo occupat. Neque etiam ii, quibus a Statu donantur vel venumdantur, dominium acquirunt, nisi forte Ecclesia injustam occupationem ratam habuerit. Quod quidem nonnunquam fecit tum in universis regionibus tum in singulis possessoribus.

Ne per longi quidem temporis praescriptionem acquiritur dominium (saltem si non adest bona fides). Omnis enim praescriptio, quae fit absque bona fide, ut bonis moribus repugnans, ab Ecclesia damnata est.[1])

9. Mira insuper est maledictio, quae bonis eo modo injuste possessis continuo videtur inhaerere. Etenim ad rationem injustitiae accedit etiam ratio sacrilegii, quum bona ista fuerint Deo dicata. Pro Anglia jam olim minister Protestans Spelmann libro ad hunc finem conscripto ostendit, quomodo illae familiae, quae bona ecclesiastica, a rege Henrico VIII. Ecclesiae erepta, acceperunt, perierint vel in paupertatem redactae sint.[2]) In Germania similiter plurima et omnino insignia possunt adduci exempla.

Nec solum ad homines privatos restringitur ista maledictio, sed et ipsis Statibus inhaeret, qui potissimum injustitiam committunt. Saeculo XVI. Henricus VIII., rex Angliae, postquam bona Ecclesiae occupavit, in talem penuriam devenit, ut pecuniam corrumperet et majora exigeret vectigalia, quam praedecessores ejus per 500 annos exegerant.[3]) Jam qua penuria nostris temporibus Italia, bonis ecclesiasticis occupatis, laboret, satis notum est.

Integrae pariter nationes per ejusmodi saecularizationes immensum damnum subierunt. Monasteria enim eleemosynis suis multos alebant pauperes, ita ut hi non cogerentur mendicare per vicos. Verum monasteriis suppressis v. g. Henricus VIII., Angliae rex, propter auctam hominum mendicitatem poenam statuit mendicantibus, ut aures eorum abscinderentur. Cujus successor „Eduardus adolescens sanctus", ut Fox eum vocat, mendicos omnes ferro candenti uri jussit. Elisabeth regina (quod antea in Anglia ignotum erat) vectigalia publica in

---

1) C. 20. X. de praescr. (2, 26).

2) Cf. Ehrle S. J., „Der Fluch des saecularisirten Kirchengutes" in „Stimmen aus Maria-Laach" t. XVI. pag. 113. 284 503.

3) Haec et alia, etiam pro Gallia, vide in opere domini Moulart: „De l'Eglise et de l'état".

pauperum usus exigere cogebatur. Nostro tempore sola urbs Londinensis quotannis 60 millionibus francorum ad sustentandos pauperes indiget.

Quum anno 1856 Bruxellis conventus internationalis beneficentiae celebraretur, Cherbuliez, Protestans Gebennensis, dixit: „Ante reformationem“ (quam intelligit originem Protestantismi) „pauperismus ignotus erat in Helvetia, quod sine dubio societatis „religiosae constitutioni debebatur, quae, licet mendicitati faveret(!), „tamen impediebat, ne populus in miseriam deveniret. Quum „reformatio saecularizationem bonorum ecclesiasti- „corum induceret, idem fiebat apud nos, quod in „Anglia. Comitia decreverunt, ut quilibet pagus *(Canton)* tanquam „respublica subventionem pauperum in se susciperet. Hoc modo „simul jus pauperum et obligatio reipublicae creabatur. Ex hoc „tempore pauperismus est magnum illud vulnus Helvetiae, „imprimis reipublicae Bernensis; praeterea numerus hominum ibi „ita augetur, ut sollicitudinem excitet; augetur enim ex annis „nonnullis undecim pro centum. Verum infantium spuriorum „numerum indicare pudet me ob patriae amorem. Bene! Juxta „rempublicam Bernensem habetur regio Jurae, minus dives, quam „Bern, nec tamen pauperismo devastata, ita ut deputati Jurenses „in comitiis omne genus subsidii vel auxilii Status recusaverint. „„Tenete““, dixerunt, „„pecuniam vestram et leges „„vestras, sed relinquite nobis pias consuetudines „„nostras.““ Mirum est, quomodo haec sibi opponantur: terra „est catholica, non multa habet negotia, quae quaestum praebeant. „non multas opes, in iis rerum conditionibus versatur, quae „miseriam videntur reddere inevitabilem; nihilominus terra nescit, „quid sit pauperismus.“ [1])

Anno 1849 Proudhon, socialista, divites hisce verbis allocutus est: „Patres vestri templa ac domus religiosas spoliaverunt; „dixistis, recte eos egisse; ex facto fecistis jus; nihilominus ista „bona Deo et pauperibus destinata erant. Sit ita; estote, divites, „vobismetipsis consentientes et populo eadem jura in vestra bona „adjudicate. Neve diceritis, sacerdotes, quos spoliastis, bonis suis „male usos esse; nam telum istud contra vos ipsos verteretur.“

1) Cf. Moulart l. c.; dein Ehrle S. J., Beiträge zur Geschichte und Reform der Armenpflege (Friburgi 1881).

5. Quaenam valeant in extraordinariis rerum adjunctis.[1])

1. Vidimus jam relationes praecipuas inter Ecclesiam et Statum, prout in variis materiis secundum Dei voluntatem se exhibent. Eadem haec lineamenta ubique de novo redeunt: independentia utriusque potestatis in territorio exclusive proprio; dependentia directa Status ab Ecclesia in rebus religiosis, indirecta in rebus profanis, in quantum ratio religiosa eis admixta est, independentia absoluta Ecclesiae a quavis potestate humana in omnibus.

Num principia haec semper et ubique executionem exposcunt? Num v. g. Status semper rebellionem adversus Ecclesiam punire tenetur? Num semper tenetur agere ut Status catholicus?

Possumus respondere et affirmando et negando. Affirmando: nam quilibet est obligatus, ut sit catholicus, ut agat secundum principia catholica, non solum, quantum est homo singularis, sed etiam quantum est vel paterfamilias, vel praefectus urbis, vel deputatus in comitiis, vel rex sive constitutionalis sive absolutus.[2])

Sed etiam negando respondere possumus; nam ipsa principia catholica non semper exigunt, imo ne permittunt quidem, ut executioni mandentur.

Haec indigent explicatione.

Habentur juxta theologiam moralem obligationes positivae et negativae, seu res, quae praecipiuntur, et quae vetantur. Vetitum est v. g. mentiri vel committere adulterium; haec nunquam neque ullis in adjunctis licent.

Aliter res se habet in obligationibus positivis seu praeceptis. Praeceptum est v. g. parentibus, ut liberos alant eorumque vitia corrigant. Attamen nemo dicet, infantem esse corripiendum, dum aegrotat et dum correptio haec nocere potest; porro nemo dicet, parentes debere largiter alimenta dare liberis, quum ipsi parentes fame moriantur, sed cum liberis dividere poterunt, ita ut omnes saltem aliquid accipiant.

2. Quae modo diximus, possumus applicare ad rationem, qua habere se debent Status in diversis rerum adjunctis.

Si respublica in statu normali ac sano est, sine ulla restrictione applicanda sunt principia, quae exposuimus. Status autem

1) Hergenroether, „Kath. Kirche", XII: „Die Kirche und die Glaubensfreiheit", pag. 617—669.

2) Cf. Encycl. „Immortale Dei" n. 70.

normalis et sanus est ille, quem intendit Christus, in quo populus universus profitetur fidem catholicam. Hic igitur religio catholica debet agnosci ut unica reipublicae religio; instituta publica omnia juxta principia catholica diriguntur; rebellio adversus Ecclesiam etiam legibus civilibus punitur, idque eo magis quam rebellio adversus potestatem civilem, quo ordo religiosus ordinem civilem sanctitate superat. Dies dominica et festa Ecclesiae a potestate civili in honore habentur; ambae vero potestates se invicem juvant ac promovent.

Statum contra anormalem habemus eum, in quo pars notabilis reipublicae non profitetur religionem catholicam, sive homines Ecclesiam omnino non intraverunt, sive ipsi vel majores eorum eam ingressi iterum reliquerunt per plenam apostasiam, per haeresin vel per schisma.

Num hisce in rerum adjunctis gubernium, etiamsi sit catholicum, eodem modo procedere poterit, quo liceret, si omnes subditi essent Catholici? Certissime non. Haeresis v. g. jam ideo saepe puniri non potest, quia prima poenae conditio, scilicet culpa, deest, saltem si agitur de iis, quorum majores defecerunt. Sed, etiamsi culpa adsit, alia tamen ratio saepissime suadebit, ut punitio omittatur: plus enim forte noceret, quam prodesset; alienaret enim acatholicorum animos non solum a gubernio, sed vel ab ipsa Ecclesia catholica, ita ut difficilius ad eam sincere se converterent. Obligatio puniendi est obligatio positiva, hinc non semper neque ubique executioni mandanda.

Sed habentur etiam obligationes negativae, v. g. non fovendi et promovendi formaliter haeresin. Haec obligatio semper et ubique urget. Nunquam igitur licebit, facere aliquid, quod putari possit haeresis approbatio.

3. His praemissis facile patet, quid judicandum sit de separatione inter Ecclesiam et Statum.

Pronunciata tanquam principium universale omnino rejicienda est haec separatio et rejecta est a Pio IX., quum damnaret sententiam: „Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia sejungendus est.“ [1])

Rejicienda est pariter eo sensu, quo Status omnes religiones, inter eas etiam Ecclesiam catholicam, pari modo sibi suisque legibus posset subjicere. Hoc nunquam potest, quia obligationem negativam laederet, quae territorium et independentiam omnimodam

1) Syllab. 55. Cf. 77—79 (supra pag. 116).

Ecclesiae invadere vetat. Rex igitur, cui subscribenda proponeretur lex, quae hoc modo juribus Ecclesiae se interponeret, potius thronum et vitam sacrificare deberet, quam tale committere peccatum. Sed de his postea accuratius; nam talis conditio potius subjectio Ecclesiae sub Statu, quam separatio utriusque potestatis dicenda est.

Verumtamen licita esse potest sincera ista separatio, qua Status non vult sibi subjicere Ecclesiam, sed neque positive adjuvare nec falsis religionibus in agendo praeferre.[1]) Obligationes enim huc spectantes, v. g. haeresis oppugnatio, brachii saecularis praestatio, obligationes positivae sunt, ideoque non debent adimpleri, si graviora ex impletione damna sequerentur.

Duo interim hac in re observentur: Primo: omissio haec nunquam ulterius est extendenda, quam rationes uniuscujusque casus requirunt. Exemplum habes libertatem cultuum proclamandam. Sint v. g. in territorio Status cujusdam subditi inter duas religiones divisi: catholicam et lutheranam. Cessare hic potest et forte debet obligatio non admittendi haereticos, si agitur de asseclis Lutheri. Sed num ideo et Mormones sunt recipiendi et pari civitate donandi? Non videmus, quaenam ratio hoc exigat. Porro: adulterium et polygamia generatim a Statu puniri debent. Si nihilominus Status nonnullis in casibus adulterium (quod v. g. secundum principia catholica etiam fit, si uno conjuge superstite alter novum init matrimonium) impunitum relinquere cogitur, num ideo etiam polygamiam impunitam relinquere debet, quamvis nihil impediat, quin haec saltem puniatur?

4. Sed dices: valde difficile erit judicare, quid in singulis casibus licitum sit, quid non. Videamus ergo alterum, quod hic observandum erit, hoc scilicet, ne Status hac in re quidquam innovet, nisi approbante Ecclesia, et quidem ipso Summo Pontifice, si res est alicujus momenti.

Duae sunt rationes, quae hoc exigunt. Primo: consensus Ecclesiae saepe licitum reddere potest, quod secus licitum non esset, non solum in obligationibus positivis, sed et in negativis implendis. In republica Equatoriana v. g. pessimus erat status nonnullorum monasteriorum. Praeses reipublicae, Garcia Moreno, vir optime catholicus, libenter scandalum istud abstulisset. Sed num ei licebat? Non licebat propria auctoritate id facere propter

1) Cf. Encycl. „Immortale Dei“ n. 54.

ecclesiasticam immunitatem. Facultatem igitur a Sancta Sede impetravit et tum reformationem monasteriorum cum magno Ecclesiae et reipublicae emolumento legitime perfecit.

Generatim loquendo in omnibus legibus Statuum, quae his in rebus a principiis ordinariis deviant, vix quidquam fieri poterit, quin aliquo modo jura Ecclesiae invadantur. Ergo jam ob hanc rationem prius Ecclesia adeunda erit, ut consensum praebeat. Sed supponamus, esse casum, in quo nullum tandem violetur jus Ecclesiae, v. g. si agatur de puniendis vel non puniendis haereticis, et adjuncta sint ejusmodi, ut reapse obligatio potestatis civilis, quae secus obtineret, hisce in adjunctis dubia videatur; nihilominus practice loquendo audienda prius erit Ecclesia, quum ipsius sit, in omnibus rebus judicare, quid licitum sit, quid non, et quum hic quaestio ejusmodi, et quidem generatim satis intricata, moveatur.

Itaque rex, vel praeses reipublicae, antequam legi, quae quomodocunque principiis catholicis vel juribus Ecclesiae adversari videtur, subscribat, consulat Sanctam Sedem. Neve objiciatur, hoc non valere de rege ut ajunt constitutionali, qui secundum constitutiones, quales nunc saepe vigent, subscribere debet cuicunque legi, quae a comitiis ipsi proponitur. Nam aliquod saltem judicium, aliquod *veto* ei relictum erit. Sed supponamus, constitutionem nullum ei *veto* relinquere. Num ideo semper erit subscribendum? Nullatenus. Nulla enim constitutio derogare potest legibus divinis, quae vetant, ne Status injuriam committat, sive contra singulos homines, sive contra alios Status, sive contra Ecclesiam, sive contra ipsum Deum. Num v. g. — ut exempla maxime conspicua proponamus — subscribendum erit ejusmodi legi, quae declaret, Deum non esse, vel quae Ecclesiam Christi censeat esse delendam, vel Summum Pontificem esse depositum?

Vana igitur est et illusoria excusatio illa, quam monarchae debiles interdum praetendunt, quum legibus acatholicis subscribunt: se esse monarchas constitutionales et debere subscribere omni legi, quae sibi proponatur. Ne subditis quidem licet, exsequi leges injustas, etiamsi ab utrisque comitiis et a rege sunt subscriptae; non enim sunt leges. Et rex posset atque adeo deberet subscribere? Ipse magis esset mancipium comitiorum, quam subditi ei et comitiis subjiciuntur? Saltem concedendum videtur, rem esse dubiam, rationes etiam pro non subscribendo militare. Jam si

dubia est res, debet Ecclesia adiri, cui dictum est: „Qui vos audit, „me audit, et qui vos spernit, me spernit.“ Sicut quilibet homo catholicus confessarium adit, quum dubitat, quid sibi liceat, quid non; ita rex quoque in ejusmodi adjunctis adeat non solum confessarium, sed pro rei gravitate ipsam Sanctam Sedem, cui supremum de licito et illicito judicium commissum est.

5. Praeter separationem inter Ecclesiam et Statum alius habetur status anormalis, qui tamen aliquatenus interdum approbari potest, scilicet plurium religionum paritas *(Parität)*.

Paritatem illud systema intelligimus, quo Status plures religiones, v. g. catholicam, lutheranam, calvinianam pari modo tractat. Nunquam hoc admitti potest eo sensu, ut Status etiam religionem catholicam sibi suisque legibus subjiciat. Negativa enim sic laederetur obligatio, quae vetat, ne Status regnum Christi sibi subjiciat. Neque potest hoc licitum fieri consensu Ecclesiae, saltem non ita, ut superioritas Status super Ecclesiam formaliter agnoscatur; quam Ecclesia agnoscere non potest, quum voluntati Christi repugnet. Ad summum eo sensu admitti poterit, ut ipsa Ecclesia Statum ad jura quaedam in res ecclesiasticas exercenda deleget. Sic v. g. si fiat lex, ut ministri earum religionum, quae in Statu vigent, ad libros parochiales officialibus civilibus ostendendos obligentur, Ecclesia, i. e. Summus Pontifex, sua auctoritate mandando, ut legi obtemperetur, eam licitam reddere poterit.

Alio modo paritas interdum licita esse potest, si diversae illae religiones pari modo non subjiciuntur, sed foventur a Statu. Etsi nunquam falsam religionem formaliter fovere et promovere licet, i. e. ita ut e modo agendi approbatio quaedam erroris eluceat; poterit tamen licitum esse, eam promovere materialiter. Exemplum hujus paritatis habes, si v. g. injuriae in Ecclesiam catholicam et sectas lutheranam et calvinianam a Statu pari modo puniuntur, injuriae in alias religiones non puniuntur. Licitum hoc esse potest; poena enim inflicta ob injuriam sectae erroneae illatam non necessario ostendit, approbari errorem pro veritate et formaliter promoveri; sed materialiter tantum fovetur error, ne forte propter injurias ejusmodi rixae oriantur.

Quod hic de Statu in universum dictum est, de singulis quoque illius judicibus vel officialibus valet: non licet illis ullo modo formaliter cooperari in legibus earumve executione, quae aut jura Ecclesiae injusto modo laedunt aut falsam religionem vel errorem

approbant. Materialiter autem eis cooperari licet, si ratio sat gravis hoc exigit. [1])

Verum prae oculis habenda sunt semper quae supra diximus, scilicet primo: nihil amplius relaxandum ex sanis principiis ordinariis, quam adjuncta omnino requirunt. In ponderandis autem rationibus pro et contra illud potissimum considerandum est, omnem ejusmodi relaxationem indifferentismo, temporum nostrorum pesti, favere.

Deinde semper caveri debet, ne quid hac in re innovetur Ecclesiâ inconsultâ vel etiam obloquente.

6. Ea, quae in conditionibus extraordinariis valent, hucusque potissimum ex parte Status et obligationum, quae ei incumbunt, consideravimus. Sed eadem fere mutatis mutandis de Ecclesia asserenda sunt; imprimis tenendum est, obligationes positivas non esse in omnibus rerum adjunctis executioni mandandas. Hinc, licet Ecclesia teneatur, Statuum subditos de obedientia legitimae auctoritati civili debita monere, non tamen subditi auctoritatem illam adjuvare tenentur, neque Ecclesia eos hac de re monere, si rationes graviores oppositae ab hac obligatione positiva adimplenda excusant. Numquam vero Ecclesiae rebellionem adversus Statum approbare licet; neque unquam auditum est, Ecclesiam eam approbasse, quum innumera praesto sint exempla, in quibus Status rebellionem adversus Ecclesiam omnibus viribus foverit, promoverit atque etiam excitaverit.

Contra Ecclesia, etiam ubi injustam persecutionem a Statu patiebatur, non destitit commonere Status subditos de obligatione obediendi in rebus civilibus potestati civili. Pulcherrime hac de re Sanctus Pater Noster Leo Papa XIII. die 3. Decembris 1882 rescripsit Imperatori Germaniae: necessarium esse, ut populi religione ad implendas illas obligationes, quae iis ut civibus et subditis incumberent, redigerentur.

---

1) Cf. hac de re opus eximium recenter in lucem editum a P. Lehmkuhl S. J.: Theologia moralis (Friburgi Brisg., Herder 1883 et 1884) t. I. n. 646 seqq. et n. 804.

Liber secundus.

Jus humanum (historicum).

Super fundamentum juris divini positivi et naturalis aedificium juris humani seu historici erigitur. Inest enim tum Statui tum Ecclesiae potestas legislativa, qua novas juris normas creare possunt. Normae igitur, quae sic oriuntur, jus constituunt humanum.

Multa possunt enumerari, quae de relatione inter Ecclesiam et Statum jure humano sancita sunt. Legislatio ecclesiastica potest v. g. immunitati aliam aliamque dare extensionem; legislatio civilis institutis ecclesiasticis privilegia, v. g. jurisdictionis civilis, et vice versa legislatio ecclesiastica Statibus participationem jurisdictionis ecclesiasticae, v. g. in nominandis Episcopis, concedere potest.

Longum est, indagare, quid his in rebus in singulis orbis terrarum partibus sive ab ecclesiastica sive a civili legislatione vel etiam consuetudine statutum sit. Neque juvat adducere, quid insuper singuli Status in iis, quae religionem spectant, invalide decreverint. Ingens enim interdum apud gubernia civilia erat pruritus immiscendi se rebus ecclesiasticis, quae ad ea non pertinent; ita ut plurimas his in rebus ferrent leges, quae aeque invalidae sunt, ac si Japonia leges ferret pro Gallia.

Omnia igitur ista singularia omittimus, et ea sola, quae tanquam principia quaedam in universum juri humano dominantur, et quidem ita, ut relationes inter Ecclesiam et Statum speciali modo tangant, hic tractabimus. Tractatum enim generalem de legibus, in quo dicitur, eas debere in bonum commune cedere, ferri a legitima auctoritate etc., notum supponimus.

Determinato igitur ambitu hujus nostrae disputationis, duo sunt, quae accuratiorem exigunt discussionem: quoad originem juris humani tractandum est de Concordatis, quoad interitum de principio legitimitatis et de praescriptione.

I.

De Concordatis.[1]

1. Concordata sunt conventiones inter Ecclesiam et Statum, quibus utriusque relationes ordinantur. Si insuper ab Ecclesia ut leges publicantur, vim accipiunt legum ecclesiasticarum; si ut leges civiles publicantur a Statu, induunt vim legum civilium. Possunt per ea agnosci et confirmari jura, quae jam sunt; possunt et nova jura et facultates concedi ab utraque parte. Agnitio et confirmatio illa non erit superflua; nam si v. g. agnoscitur, Ecclesiae competere liberam et independentem rerum suarum administrationem, nihil quidem in se efficitur novum, quum jure divino ista administratio Ecclesiae jam competat; sed tamen id efficitur, ut nunc ab iis quoque agnoscatur, qui jus divinum, sive ex ignorantia, sive ex mala voluntate negant. Novum autem quid acquiritur, si v. g. Ecclesia Statui jurisdictionem ecclesiasticam, vel Status Ecclesiae jurisdictionem civilem committat, vel etiam si alter alteri bona cedat externa.

Merito igitur Concordatis hic, ubi de juris humani origine agitur, locum assignamus; nec possumus assentire domino Moulart, qui in opere suo saepius laudato locum iis assignat tanquam medio eliminandi conflictus inter Ecclesiam et Statum ortos. Latius enim patet Concordatorum finis; sunt enim fons juris, non solum ad conflictus componendos, sed etiam nullo praecedente conflictu.[2])

2. Sententiae de natura Concordatorum multum inter se discrepant. Primo intuitu possunt videri contractus utrimque juridice obligantes. Quae sententia sine restrictione enun-

1) Cf. Card. Hergenroether, „Kath. Kirche," p. 793 seqq. — Fink, De Concordatis (Lovanii, Vanlinthout 1879). — Cavagnis, Institutiones jur. publ. eccl., Romae 1882 vol. 1. p. 398—427.

2) Cf. Encycl. „Immortale Dei" n. 28. 50.

tiata non videtur nobis vera. Fieri enim potest, ut contrahentes quaedam in Concordatis stipulentur, quae non intendant nec forte intendere possint ut obligationes juridice ligantes, sed v. g. ut privilegium, quod valide semper, et licite etiam, si justae adsint causae, ab eo, qui illud concessit, revocari possit. Exemplum habes in jurisdictione. Si Status Episcopis vel Abbatibus jurisdictionem civilem (forte etiam super non baptizatos) concedat ea ratione, ut haec jurisdictio eandem naturam habeat ac jurisdictio judicibus laicis concessa: non poterit dubitari, quin Status Episcopis eodem modo, quo judicibus laicis, hanc jurisdictionem adimere possit. Vice versa, si Ecclesia Statui jus patronatus, i. e. jus nominandi aliquem Episcopum vel Parochum concedit, similiter patet intendi jus patronatus, ergo privilegium quoddam ecclesiasticum, quod generalem horum privilegiorum naturam sequatur.

Falsum igitur est dicere: quodcunque scriptum est in Concordatis, obligationem juris constituit utrimque obligantem.

3. Sed non minus falsum est asserere, Concordata nihil continere nisi privilegia ex parte Status Ecclesiae concessa, quae Status pro libitu possit revocare.

Mirum est, ad quasnam absurdidates odium catholicae religionis hac in re adversarios perduxerit. Hinschius, primus forte hodiedum inter omnes canonistas acatholicos, ait: „Theoria, quae „asserit, Concordatis et Bullis circumscriptionis inesse naturam „contractus, non videtur teneri posse, non obstante magno numero „eorum, qui eam defendunt. Secundum jus publicum civile nostri „aevi legislatio Status est omnipotens in omnibus relationibus, „quae intra sphaeram ejus in lucem prodeunt, et Ecclesiae chris„tianae, quantum versantur intra limites uniuscujusque Status, „huic eodem modo subjiciuntur, quo singuli quivis homines et aliae „quaevis corporationes.“ [1])

Quae ut refutemus, respondemus distinguendo: Illa „sphaera Status“, in qua hic dicitur esse „omnipotens“ ita, ut in ea jus ejus nullis sit limitibus circumscriptum, intelligitur aut sphaera juris, aut sphaera geographicae extensionis. Si intelligitur sphaera juris, sensus est: Status potest ea omnia, quae sunt intra limites juris ipsius. Hoc utique est verissimum neque ab ullo in dubium

1) Cf. „Stimmen aus Maria-Laach“ 1871 t. I. p. 522 seqq., ubi fusius refutavimus Hinschii libellum, ex quo desumpta sunt ista.

vocatur; nemo enim plus aut minus potest, quam revera potest. Sed tunc id ipsum ostendendum erit, de quo agitur, scilicet, dominationem omnimodam super Ecclesiam versari intra limites „sphaerae Statuum".

Sed diximus: illa „sphaera Status" poterit etiam intelligi sphaera geographicae extensionis. Tunc autem sententia Hinschii, canonistae Borussici, in praxin translata et ad singulos casus applicata aequivalenter dicit: in territorio regni Borussiae gubernium sine justitiae laesione quoscunque homines ad libitum decollare vel vivos comburere vel pecuniam eorum ad libitum sibi sumere potest: gubernium enim Borussicum est „omnipotens". Mira sane juris prudentia, cui, quid respondeamus, profecto non habemus!

Amici Hinschium benignius intrepretabantur. Sed Hinschius in sententia sua institit, Ecclesiae omne jus in sua relatione ad Statum denegando. In opere enim suo majori et recentiori dicit: „Concordatum nonnisi externa specie apparet ut contractus: juri-„dice non est, quia deest alter contrahens, qui sit capax juris, „et quia de re contrahitur, de qua alter contrahens, scilicet Status, „contrahere non potest. Itaque Statui obligatio juris non est „adimplendi Concordatum." [1])

Si igitur Hinschius sibi constare vult, etiam haec dicere debet: Contractus mutui, quos ineunt Status cum Rothschild, juridice non sunt contractus, quia deest alter contrahens, qui sit capax juris (scilicet, si Rothschild cum suo infortunio intra „sphaeram" Borussiae habitaret), et quia agitur de re, de qua Status non potest contrahere!

Sane debet quis philosophiae in academiis Borussicis studuisse, ut ejusmodi res proferre possit; in quibus refutandis chartam et atramentum perdere nolumus.

Alio modo, quam Hinschius, Friedberg conatus est demonstrare, Statum non teneri Concordatis, quae ante Concilium Vaticanum cum Ecclesia facta essent. Dixit, alterum contrahentem, Ecclesiam scilicet, per decreta Vaticana tam essentialiter esse mutatum, ut Statui resilire liceat ab antea promissis. [2]) Sed id hodiedum non jam videtur opus esse refellere.

1) Hinschius, „Staat und Kirche" in Marquardsen, Handbuch des öffentlichen Rechts, t. I, p. 277.

2) Friedberg, „Die Grenzen zwischen Staat und Kirche" p. 772 et 815.

Etiam magis mirum est argumentum, quod in comitiis Austriacis quondam ad stabiliendam similem sententiam prolatum est. Dictum enim est, ipsum Statum mutationem essentialem subiisse eo, quod a monarchia absoluta (medio hoc saeculo) transiisset ad monarchiam constitutionalem; hinc cum pactis cum Ecclesia antea initis jam non teneri. Pulchrâ ironiâ respondit tunc Comes de Thun, se commendare hanc sententiam ministro aerarii publici, ut facillimo modo Statum subito ab omnibus debitis olim contractis liberaret.

Ipse Professor de Schulte, quondam catholicus, postea neoprotestans, agnovit: „constitutionem Borussicam . . . non po„tuisse unilateraliter *(einseitig)* derogare pacto" (scil. cum Sancta Sede inito).[1]) Sed vel ipse minister Borussiae de Ladenberg in decreto d. 15. Decembris 1848 dixit: „Constitutio spondet re„ligionibus continuationem earum praestationum, quae hucusque a „Statu fiebant. Quo solius justitiae postulatio impletur, quia „istae praestationes partim in speciali, partim in generali obli„gatione fundantur, cui Status non se valet subducere, quin „principium suae vitae laedat . . . Tandem pro territoriis recenter „acquisitis vel cum Statu denuo unitis sollemniter et per legem „spondebatur, ut institutis ecclesiasticis provideretur: quod ex „evocatione ad homines provinciae Rhenanae d. 5. Aprilis 1815 „et ad incolas magni ducatus Posnensis d. 15. Maji 1815 elucet. „Non igitur gratia erat, sed adimpletio obligationis bene funda„tae, quod, quum de constitutione ecclesiastica cum Sancta Sede „ageretur, Status dotationem episcopatuum et institutorum ad „ipsos pertinentium in se susciperet; quod expresse agnitum est, „quum inter ipsas transactiones, tum in publicando earum exitu „atque eventu, in bulla *De salute animarum* anni 1821 . . . . . „Quibus expositis non potest rationabiliter in du„bium vocari, quin Status non aliter valuisset dissol„vere obligationem praestandi ea, quae tunc prae„stabantur, nisi frangendo fidem et promissionem, „cujus rei sequelae in ipsum recidissent."

Nihilominus Status Borussicus postea hanc obligationem dissolvit alioque modo pacta cum Sancta Sede inita violavit. Quod et jam Austria et permulti alii Status fecerunt.

1) v. Schulte, System § 62. p. 331 nota 4.

Ideo Pius IX., Summus Pontifex, nullas esse declaravit v. g. istas leges Austriacas atque Borussicas, quibus pacta frangebantur. In Syllabo autem anni 1864 damnavit sententiam: „Laica „potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi „irritas solemnes conventiones (vulgo Concordata) super usu „jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede „Apostolica initas, sine hujus consensu imo et ea reclamante." [1])

4. Sententia ei, quam modo refutavimus, opposita esset: Concordata esse privilegia ab Ecclesia Statui concessa, quae proin unilateraliter ab Ecclesia revocari possent.

Quantum scimus, a nullo alicujus nominis auctore haec sententia propugnatur. Imprimis pro ea, si ita generatim enuntiatur, non potest citari Em. Cardinalis Tarquini, quum ipse explicite affirmet, Ecclesiam valido et obligatorio modo per Concordata bona Ecclesiae alienare posse. [2]) Plurima insuper exempla adduci possunt, quibus ipsi Summi Pontifices Concordatis attribuunt vim contractus utrimque obligantis. Legimus v. g. in Concordatis inter Pium VIII. et Ludovicum XVIII., Galliae regem, Art. 19: „Haec Concordata vim habent veri contractus utrimque obligantis."

5. Sententiam proin unice veram habemus eam, quae neque naturam privilegii revocabilis, neque naturam contractus obligantis indiscriminatim Concordatis sive attribuit, sive negat, sed juxta regulas sanae interpretationis inquirit, quid in singulis Concordatis et singulis eorum partibus agi potuerit et actum sit.

Hanc vero sententiam in se ipsa esse tam evidenter veram putamus, ut non indigeat probatione, maxime postquam alias sententias, quae adduci possent, refutavimus. Hinc miramur, quod de re tam simplici et tam clara toties et tam fuse ultimo tempore disputatum sit inter Catholicos.

Sequitur ergo, Concordatum aliquod generatim dicendum esse contractum utrimque obligantem, si ipsius Concordati verba hoc innuant. Sequitur deinde, hanc contractus naturam, quae de Concordato generatim affirmatur, affirmandam etiam esse de singulis ejus partibus, si nulla specialis ratio aliter interpretandi obstet. Non tamen sequitur, eam affirmandam esse et de iis partibus, pro

1) Syll. 43.

2) Tarquini, Juris eccl. publ. inst. (Romae 1862, p. 81).

quibus, sive expressis partium verbis, sive natura rei propter materiam subjectam speciatim excluditur.

6. Positis hisce principiis applicationem faciamus ad ea, quae in Concordatis occurrere solent.

Nonunquam agitur de jure privato, de bonis potissimum externis. Ecclesia v. g. suo juri in bona injuste a potestate civili occupata renuntiat, vel Status promittit, se dotaturum esse beneficia ecclesiastica et ministris Ecclesiae pensiones soluturum. In hisce nulla apparet ratio negandi, adesse contractum utrimque obligantem, respective donationem irrevocabilem.

Porro etiam de rebus ad jus publicum civile spectantibus agi potest; v. g. si Gallia Ecclesiae vel viceversa Ecclesia Galliae comitatum Avenionensem cederet; aut si sanciretur, officiales civiles unius potestatis habere fidem publicam aliave privilegia in ditione alterius potestatis. Hîc contractus utrimque obligans aut etiam merum privilegium posset adesse. Itaque videndum est, quid in casu partes voluerint, et adhibendae sunt ordinariae interpretationis leges.

7. Postremo agi potest de materia spectante ad jus publicum ecclesiasticum, et primo quidem ita, ut Status v. g. integram Ecclesiae libertatem et jurisdictionem aguiturum se promittat. Hîc evidenter non agitur de privilegio, neque de revocanda hac agnitione sermo esse potest, quum Status nihil promittat, nisi ad quod antecedenter ad omnem promissionem jam obligatur jure divino.

Secundo de jure publico ecclesiastico eo modo agi potest, ut Ecclesia promittat quaedam, v. g. concedendo gubernio civili jus praesentationis in Episcopatus.

Versamur hîc in re frequenter occurrenti et maximi momenti. Quomodo igitur de talibus concessionibus judicandum? Utrum intelligendae sunt ut contractus ligantes vel donatio irrevocabilis, ita ut per eas pars jurisdictionis ecclesiasticae alienetur, similiter ac Gallia partem sui territorii alienaret, si ditionem Avenionensem donaret Summo Pontifici? vel similiter ac monarcha absolutus alienat partem jurisdictionis suae, si subditis jura, ut ajunt, constitutionalia concedit? An potius intelligendae sunt istae concessiones ad instar privilegiorum, ita ut saltem ob rationes boni publici revocari possint? Nemini dubium esse potest, quin hoc ultimum sit affirmandum.

Nam primo: historice constat, ortas esse istas concessiones ex jure patronatus, adeo ut vel nunc simpliciter jus patronatus vocari possint. Dotavit quis paroeciam vel episcopatum. Ecclesia, ut se gratam exhiberet, donatori nominationem Parochi sive Episcopi reliquit; res erat merae gratitudinis, non contractus ex justitia ligantis; vel ipsa simoniae ratio vetuisset rem ita considerare, quasi fieret contractus utrinque obligans, vi cujus alter daret bona temporalia, alter (Ecclesia scilicet) bona spiritualia, i. e. jus nominandi Parochum et Episcopum.

Sic ortum est jus patronatus, et secundum hanc originem historicam dijudicandae sunt similes concessiones, quae forte occurrunt in Concordatis.

Secundo, quod fere in idem recidit, saepe in Concordatis verba technica adhibentur, ita ut dicatur: regi concedi „nominationem" vel „praesentationem" v. g. Episcoporum. „Nominatio" vel „praesentatio" autem significat privilegium illud, quod habet patronus, designandi personam ad munus ecclesiasticum; quod privilegium tantum abest, ut jus strictum relate ad Ecclesiam constituat, ut in manualibus juris canonici ubique invenias, non obstante hoc jure patronatus posse Summum Pontificem jure, ut ajunt, extraordinario etiam aliam eligere personam, quam eam, quae „nominata" est a patrono. Itaque secundum interpretationis regulas voces „jus nominationis" et similia etiam in Concordatis significatione suâ technicâ sunt intelligenda, et sic intellecta ostendunt, agi de mero privilegio, non de stricto in Ecclesiam jure.

Sed tertio — et haec ratio est maxime evincens — supponas, tum Statum tum ipsam Ecclesiam (quod numquam fiet) intendere et dicere in ipsis Concordatis, se velle, ut istae concessiones juris publici ecclesiastici objectum contractus utrimque obligantis constituant, ideoque veras alienationes, non mera privilegia revocabilia contineant: nihilominus dicimus: eas non continere alienationes, quia non possunt continere; agitur enim de juribus, quae Ecclesia alienare non potest.

Status quidem omnia jura sua, tum per partes tum omnia simul sumpta, alienare potest. Saepissime enim id fecit, nec quisquam de validitate hujus alienationis dubitat. Ecclesia vero, et imprimis Ecclesiae caput, Summus Pontifex, id facere non potest. Potest utique Papa munere suo se abdicare, sicut S. Coelestinus V.; non autem potest efficere, ut, quamdiu est Papa, non habeat inte-

gram plenitudinem jurisdictionis ecclesiasticae. Docet enim Concilium Vaticanum, „ipsi in Beato Petro pascendi, regendi ac „gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo „plenam potestatem traditam esse“ [1]); quam perfecte monarchicam Ecclesiae constitutionem, jure divino sancitam, ne ipse quidem Summus Pontifex potest mutare. Mutaret autem, si vel minimam partem jurisdictionis ecclesiasticae alienaret: non enim jam „plenam“ relinqueret potestatem.

Etiam clarius rem exhibeamus. Num Summus Pontifex Ecclesiam in duas partes dividere poterit, ita ut ipse retineat partem occidentalem, Patriarcha vero Constantinopolitanus independenter ab ipso (ergo per alienationem, non per merum quasi privilegium) partem orientalem? Certissime non poterit; destrueretur enim unitas, quam Christus voluit servari usque ad finem saeculi.

Num Summus Pontifex minorem aliquam partem Ecclesiae, v. g. regnum Lusitaniae, a se independentem reddere et alienare per verum contractum irrevocabilem poterit? Neque id poterit, quia pariter destrueretur unitas; Lusitania enim tunc jam non pertineret ad Ecclesiam catholicam.

Num poterit saltem, v. g. pro Lusitania, alienare, non totam jurisdictionem suam, sed aliquam particulam tantum, v. g. jus independens creandi Episcopos? Minime vero, quia successor Petri tunc jam non haberet „plenam potestatem“ pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam.

Est igitur contra dogma catholicum, dicere: concessiones in materia juris publici ecclesiastici ab Ecclesia factas esse veras alienationes et obligare per modum contractus utrimque ligantis.

Sed facta est ante aliquot annos haec objectio: Utique non poterit alienari jus ipsum, v. g. nominandi Episcopos; usus autem hujus juris poterit alienari.

Ut ad hoc respondeamus, quaeramus: quorsum voluit Christus, ut Petri successor frueretur semper „plena“ ista potestate? Utrum ut cum ea recreationis gratia luderet? An contra, ut ei in fidei catholicae unitate et integritate ubique servanda inserviret? Hoc ultimum si concedas, concedere debebis, Christum etiam usum juris voluisse esse semper liberum, hinc inalienabilem, non solum jus ipsum. Summum dici potest, Pontificem Romanum se obligare (sive

1) Conc. Vaticanum c. Pastor aeternus cap. 3.

ex justitia, sive ex fidelitate), ut concessionem istam non revocet, nisi ob rationes publicae utilitatis Ecclesiae. Sed hoc fere nugatorium nobis videtur; supponit enim, timendum esse, ne Summus Pontifex ex levitate quadam et sine ratione revocet, quae concessit. Quod certe injuriosum est Sanctae Sedi, quae ne in maximis quidem difficultatibus Concordata, etsi licebat, revocare consuevit.

Ultra procedimus et dicimus quarto: Etiamsi Summus Pontifex voluisset et potuisset alienare jus aliquod ecclesiasticum et dare illud potestati alicui saeculari: nihilominus hanc concessionem ob publicas Ecclesiae necessitates posset revocare. Nam vel in hac ipsa absurda hypothesi jus illud ecclesiasticum, ab Ecclesia sejunctum, et Principi saeculari traditum, eodem loco habendum esset, quo reliqua jura potestatis civilis. Haec autem subsunt potestati indirectae Ecclesiae, quae ob rationes boni publici ecclesiastici eodem modo ea potest invadere, quo Status ob bonum publicum civile dominium subditorum, v. g. per expropriationem, invadit.

Concludimus igitur verbis Eminentissimi Cardinalis Tarquini: „Ecclesiae est, de vera Concordatorum interpretatione judicium „ferre, concessionesque a se factas, si ratio finis sui, hoc est salutis „aeternae, id exigit, revocare."

Itaque habemus miram hanc rem: Status, quibus generatim resilire a Concordatis non licet, fere ubique terrarum fidem suam interpositam fregerunt; Ecclesia contra, quae in modo, quo Status saepissime juribus sibi concessis abutuntur, gravissimas habet rationes juste et licite resiliendi, nihilominus firmiter semper in fide semel data perseverat.

8. Objectiones, quae contra sententiam a nobis propugnatam afferri possunt, recidunt fere in ea, quae refutavimus, quum ageretur de aliis tribus sententiis, initio memoratis. Unius tamen argumenti mentionem faciamus, quod nuper rursus allatum est ad probandum, Concordata non esse contractus bilaterales. Dicit enim R. D. Grandclaude: „Spectata qualitate contrahentium, Con„cordata non sunt contractus bilaterales. Foedera synallagmatica „proprie dicta non possunt iniri nisi inter societates omnino „aequales et ab invicem independentes . . . Atqui societas reli„giosa ac supernaturalis et societas civilis non sunt societates „prorsus aequales et independentes . . . Ergo, nisi forte agatur de

„objecto omnino proprio societati civili, respectu cujus haec habetur „ut societas prorsus independens. Concordata non sunt contractus „bilaterales.“ [1])

Sed estne vera propositio major. foedera synallagmatica proprie dicta non posse iniri, nisi inter societates omnino aequales et inter se independentes? Videamus! Urbs Venetia certe non est omnino independens ab Italia. Jam si optaret fieri independens, v. g. ut constitueret propriam rempublicam, si proponeret gubernio Italico solvere certam pecuniae summam, ut Italia cederet omni jure superioritatis, si gubernium hoc acceptaret: num non haberemus foedus synallagmaticum proprie dictum inter duas societates, quarum una hucusque ab altera dependebat? Videtur omnino! Ergo ratio dependentiae foederi synallagmatico non obstat, sed obstat ratio inalienabilitatis eorum, quae Ecclesia jure divino tenet. In quantum ergo de his alienandis agitur, utique non potest fieri ullus contractus, neque bilateralis, neque unilateralis: nam ne per modum donationis quidem ulla pars jurisdictionis alienari potest, quum tota quanta remanere debeat penes Summum Pontificem.

Hinc neque his possumus assentiri, quas R. D. Grandclaude statuit, propositionibus:

„I. Concordata, spectatis objecto et qualitate contrahentium, „plerumque non sunt pacta synallagmatica proprie dicta.

„II. Concordata, spectata intentione contrahentium et forma „ipsius instrumenti, est (sunt?) verus contractus bilateralis utrimque „obligatorius.“ [2])

Numquid, quaeso, Summus Pontifex, dum init Concordata, aliud intendit, quam pro objecto et qualitate contrahentium intendere potest?

9. Illud tamen hic notandum est: Si dicimus, ea, quae relate ad jus publicum ecclesiasticum in Concordatis Statui conceduntur, v. g. jus nominandi Episcopos, non constituere jus stricte dictum seu irrevocabile, sed merum privilegium, quod saltem ob rationes boni publici revocari possit: hoc ita intelligi volumus, Statum relate ad Ecclesiam non acquirere jus proprie dictum. Non negamus, eum acquirere verum jus relate ad alios Status vel

1) Grandclaude, Jus canonicum (Parisiis, Lecoffre 1882) t. I. pag. 103.
2) Grandclaude l. c. pag. 102, 104.

homines singulares. Si ergo duo Status contenderent, v. g. utri jus patronatus in hunc vel illum episcopatum competeret, de hoc jure coram judice ecclesiastico litigare possent, sicut litigari solet de jure proprie dicto. Hoc autem nihil extraordinarii habet. Similiter enim in aliis privilegiis fieri solet, ut sint merum privilegium relate ad concedentem, sed ut jus proprie dictum largiantur relate ad extraneos.

10. Ex illis, quae hucusque disputavimus, sponte fluit, Ecclesiae inesse potestatem juridicam revocandi jus nominationis Episcoporum, quod multis gubernis concessit. Quae potestas etiam evidentius tunc adest, si gubernia iis, quae in conventionibus promiserant, non steterunt, vel si, quod pejus est, legibus contrariis fidem datam apertissime fregerunt.

Utinam eadem semper adesset Summo Pontifici potestas facti, irrita faciendi privilegia ista! Dici enim vix potest, quantopere nostris diebus soleant nocere. Sunt enim saepissime homines omnino ab Ecclesia alienati, eique inimici, vel etiam sectae Massonicae addicti, per quos istud privilegium exercetur.

Jam quid eveniet, si pastores ovium ab inimicis Ecclesiae eliguntur?

Olim, quum Principes saeculares Ecclesiae magis addicti essent, Summus Pontifex concessit illud privilegium: primum regi Galliae Francisco I. anno 1516: postea omnibus fere Principibus Catholicis: Austriae, Bavariae, Hispaniae, Lusitaniae, et maxima ex parte Italiae et Americae centralis et meridionalis. Multis autem ex istis gubernis in pejus mutatis perstat privilegium, neque Summus Pontifex illud de medio tollere potest, quin maxima timenda sit Ecclesiae persecutio.

11. Denique quaeri potest, quisnam inire valeat Concordata? Facile respondetur: caput Ecclesiae ex una, et caput potestatis civilis ex altera parte.

Sed num ii, qui provinciae alicui sive Status sive Ecclesiae praesunt, pro sua ditione pacta ejusmodi inire possunt?

Non vacat respondere huic quaestioni relate ad praesides provinciarum civilium. Deberemus enim percurrere totum orbem terrarum et inquirere, quid potestatis isti praesides in singulis Statibus habeant.

Sed non videtur supervacaneum inquirere in hanc quaestionem relate ad eos, qui singulis partibus Ecclesiae praesunt.

Valentne igitur Episcopi pro sua quisque dioecesi inire Concordata cum potestate civili?

Distinguendum est: si per ejusmodi Concordata non derogatur juri communi, Episcopi cum potestate civili transigere poterunt. Sic v. g. poterunt alienare eam quantitatem bonorum externorum, cujus alienatio per jus canonicum eis licita est. Si vero juri communi derogatur, neganda est haec potestas. Episcopi enim subsunt legibus generalibus Ecclesiae, neque valent in iis (generatim loquendo) dispensare. Nunquam igitur poterunt potestati civili, utpote laicali, concedere ullam potestatem in res ecclesiasticas, v. g. inspectionem scholarum vel institutorum Ecclesiae, praesentationem ad beneficia ecclesiastica et alia ejusmodi (extra casus in jure praevisos). Legibus enim Ecclesiae vetatur, ne laicus accipiat ullam jurisdictionem ecclesiasticam. Quod etiam pronuntiatum est ab Em. Cardinali Antonelli in scripto quodam, gubernio Badensi tradito, quum ageretur de Concordatis anni 1859 ineundis. Dicitur ibi, clericos a prima juventute educandos esse ab Ecclesia in omni independentia a potestate civili; cui rei obstare non posse conventiones, quae forte antea factae sint; ejusmodi enim conventiones esse invalidas, quum non sint sancitae a Sede Apostolica; sanctionem autem hanc esse necessariam, quod neminem possit latere, quum agatur de re gravi disciplinae ecclesiasticae universalis et de observantia, de qua clare jam disposuerit Concilium universale. [1])

Quodsi tamen potestas civilis cum Episcopo de ejusmodi rebus vult convenire, Episcopo nihil restat, nisi ut aut dicat, sibi deesse potestatem sufficientem, ideoque adeundam esse Sanctam Sedem; aut ut ipse hanc Sedem adeat ad facultates vel instructiones ad suum agendi modum petendas.

II.

De legitimitatis, quod vocant, principio et de praescriptione.

1. Quum ineunte saeculo quarto Ecclesia e statu persecutionis fere continuae in statum quietis cujusdam transiret, quumque ipsi Imperatores Romani fierent catholici, agnoscebatur a Statu pu-

1) Cf. libellum supra (pag. 187) laudatum: Irenée Thémistor, pag. 98.

blica Ecclesiae potestas in rebus ecclesiasticis. Ita ad titulum juris divini titulus juris humani adjunctus est. Testis est legislatio civilis Romana tum ante Justinianum, tum ipsa Justinianea. Quam Gefficken aliique Protestantes, pervertentes historiam, primam putant fuisse originem primatus, immunitatum, jurisdictionis ecclesiasticae aliorumque ejusmodi institutorum, generatim non erat prima origo, sed agnitio ejus, quod jure divino jam erat, ab Imperatoribus autem ethnicis, ut patet, non agnoscebatur.

Sed jus Romanum, imprimis Byzantinum, nimis deditum erat ideis absolutisticis, ideoque nimis inclinabat in caesareopapismum. Melius nationes occidentales, quum duce rege Chlodovige Ecclesiam catholicam intrarent, divinam Ecclesiae constitutionem et omnimodam a potestate civili independentiam agnoscebant. Ipsae tenebant, duos „gladios“ datos esse a Deo, et „gladium“ temporalem debere esse sub spirituali, non viceversa; neque id ex jure humano (historico), sed ex jure divino, imprimis ex verbis Christi derivabant. Sic Innocentius Papa IV. in Concilio Lugdunensi I. oecumenico (1245) poenas temporales inflixit Friderico II., regi Germanico, non solo jure historico fretus, sed eam addens suae potestatis rationem, „quum Jesu Christi vices immeriti teneamus in terris, Nobisque in B. Petri Apostoli persona sit dictum: „„Quodcunque ligaveris super terram etc.““

Nihilominus verum est, tempore medii aevi in plurimis regionibus ad titulum juris divini, quo Ecclesia semper et ubique fruitur, additum esse titulum juris humani historici. Insuper Ecclesia multa acquisivit jura temporalia, etiam ordinis publici, quae jure divino nondum habuerat. Exempla sunt Status ecclesiasticus, dominium feudale supra Angliam et Arragoniam, in Germania Electoratus Moguntinus, Coloniensis, Trevirensis, Ducatus Borussiae, Principatus Monasteriensis, Paderbornensis, Osnabrugensis, Hildesiensis, Bremensis, Halberstadiensis, Fuldensis, Eichstaedtiensis, Herbipolensis, Passoviensis, Spirensis aliique multi.

Quum saeculo XVI. magna pars populorum ab Ecclesia deficeret, quum revolutio Gallica saeculi praecedentis multa devastaret, quumque hoc saeculo aliae revolutiones opus destructionis perficerent, Ecclesia magna ex parte juribus suis spoliata est, vel saltem impedita in usu eorum.

Jam oritur quaestio, utrum iste status facti, qui sic ortus est, transierit aliquo modo in statum juris. Ad quam ut respondeamus, accuratius discutiamus principium legitimitatis.

2. Principio legitimitatis comprehendimus imprimis axioma illud juris: nullum exstingui jus, nisi adsit ratio exstinctionis. Si quod jus constitutum est in decem annos, patet illud exstingui decem annis elapsis. Si cui personae sensu strictissimo concessum est jus, ita ut transire non possit in heredes, iterum patet, illud exstingui morte hujus personae. Sin vero (quod communiter obtinet) constitutum est sine ejusmodi restrictione, etiam patet, illud nunquam exstingui, nisi aliunde accedat causa exstinctionis, v. g. interitus rei vel renuntiatio illius, cui jus competit.

Causa ejusmodi (et hoc addimus, ut notio principii legitimitatis compleatur), causa ejusmodi habenda non sunt ista principia, quibus uti solebat Napoleon III., principia scilicet facti consummati *(fait accompli)*, suffragii universalis et nationalitatis; neque merus temporis defluxus ejusmodi causa habenda est.

His rejectis causis, quum aliae causae exstinctionis contra Ecclesiam vix adducantur (si excipias in paucis casibus renuntiationem expressam), jam inferimus, Ecclesiam posse provocare (praeter titulum juris divini) ad titulum juris humani in plurimis rebus, quibus spoliata est. Restat solummodo ostendere, istas causas allegari solitas non obtinere.

3. Tanquam ratio interitus juris, v. g. juris illius, quod rex quidam legitimus habet in regnum suum, adducitur factum consummatum. Si quis auctor seditionis in crimine suo successum habet, ita ut contra mandatum juris naturae et religionis christianae regem suum detrudat de throno, tunc juxta principium facti consummati desinit omnis injustitia. Porro (ut principium ad jus privatum applicemus), si cui successerit furari mihi pecuniam, eam non possum repetere, quia per factum consummatum juxta istud axioma omne jus meum periit.

Vere ignominiâ afficit saeculum nostrum, quod opus est, refellere talem vesaniam, et quod opus fuit, ut Pius IX. expresse eam damnaret in Encyclica „Quanta cura“ et Syllabo annexo, in quibus sequentes rejiciuntur propositiones:

„In ordine politico facta consummata, eo ipso quod consum-
„mata sunt, vim juris habere.“ (Encycl.)

„Jus in materiali facto consistit, et omnia hominum officia „sunt nomen inane, et omnia humana facta juris vim habent." (Syll. 59)

„Auctoritas nihil aliud est nisi numerus et materialium virium „summa." (Syll. 60)

„Fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert." (Syll. 61)

„Legitimis principibus obedientiam detractare, immo et re„bellare licet." (Syll. 62)

Non diutius immoramur in hisce absurditatibus refutandis.[1])

4. Nec favorabilius judicare possumus de altero axiomate Napoleonico, de suffragio quod vocant universali.

Non opus est monere, nos nullatenus excludere jus suffragii universalis, si hominum multitudo, nullo usque huc politico fruita ordine, sibi constitutionem creare vel regem eligere vult; neque illud excludimus, si per mortem ultimi regis, omni legitimo herede carentis, thronus fit quasi vacans; neque si ipsa constitutio legitima suffragium universale admittit. Hi enim sunt casus, de quibus S. Pater Noster Leo XIII. in Encyclica d. 29. Junii 1881 dicit: „eos, qui reipublicae praefuturi sint, posse „in quibusdam causis voluntate judicioque deligi multitudinis, „non adversante neque repugnante doctrina catholica . . . Quam„obrem salva justitia non prohibenter populi illud sibi genus „comparare reipublicae, quod aut ipsorum ingenio, aut majorum „institutis moribusque magis apte conveniat."[2])

Quod vero rejicimus, est: applicare suffragium universale ad illos casus, quos Summus Pontifex verbis „salva justitia" eximit. Omni enim juri id innatum est, ut non possit auferri arbitrio neque illorum, qui obligantur, neque aliorum. Non possunt v. g. liberi per suffragium universale deponere patrem de patria potestate; non possunt coloni per suffragium universale deponere dominum praedii de dominio. Hinc, si jus regis est verum jus (de quo nemo dubitare potest), non poterunt subditi pro arbitrio suo eum deponere, eligendo alium regem vel imperatorem, vel eligendo per suffragium universale formam reipublicae democraticam loco monarchicae. Hoc enim non fieret „salva justitia".

1) Cf. Encycl. „Immortale Dei" n. 11.
2) Cf. Encycl. „Immortale Dei" n. 11. 41. 52.

Neque aliter judicandum est, si rex jam est de possessione throni vi dejectus; hac enim dejectione non perit jus, nisi velis adhaerere principio facti consummati.

Neque objicere licet, regem frui jure suo regnandi non in proprium emolumentum, sed in bonum populi. Nam et pater habet patriam potestatem non in suum bonum, sed in bonum liberorum; sed tamen hi non possunt eum pro libitu deponere.

Si autem dicas, bonum populi exigere, ut rex, qui non bene potest vel vult fungi munere suo, deponatur, quaestio haec rejicitur in eam quaestionem, quam supra tractavimus, scilicet de resistentia activa. Hic autem id solum quaerimus, utrum populus pro arbitrio per suffragium universale regem suum vel constitutionem politicam mutare possit; et hoc, secundum modo dicta, omnino est negandum, et rejectum pariter est in Encyclica „*Quanta cura*“, ubi damnatur error „voluntatem populi, publica, „quam dicunt, opinione, vel alia ratione manifestatam constituere „supremam legem ab omni divino humanoque jure solutam.“

5. Tertio adductum est tanquam causa interitus juris historici acquisiti principium, ut ajunt, nationalitatis. Duo hic sunt distinguenda:

Primo potest esse, ut populus quidam habeat jus nationalitatem suam conservandi. Polonorum v. g. genti, quum subjiceretur quomodocunque aliis ditionibus, saltem sancta facta est promissio non solum de religione, verum etiam de nationalitate intacte servanda. Strictum ergo Poloni habent jus, ne mores et lingua Germaniae sive Russiae ipsis invitis obtrudantur. Qua de re nullum est dubium.

Sed altera est quaestio: Erant in Italia variae ditiones. Principes singularum ditionum, imprimis Summus Pontifex, verum jus in ditionem suam habebant. Oritur jam in multorum Italorum animis cogitatio, nihil esse pulchrius, quam omnes, qui lingua Italica utantur, in unum convenire regnum. Itaque armis regis Pedemontani reliqui reges et principes de throno suo dejiciuntur, ut fiat „una Italia“. Num hoc licet? Nemo, qui sanae mentis est, id poterit affirmare. Concedimus utique, aliquem populum posse optare, ut in unam coeat rempublicam; sed num licet ad desiderium illud explendum alios de justa sua possessione detrudere? Si duos habeo fundos, qui alieno fundo separantur, possum pariter optare, ut iste fundus intermedius evadat meus;

num autem ideo mihi licet depellere possessorem? Certissime non. Non enim jus habeo in omne, quod mihi optabile videtur. Jam vero sit unio ista Italiae optabilis, sed si nihil amplius affertur, quam optabilitas, certe haec jura acquisita, quae cum ista unione simul stare non possunt, de medio tollere non valebit. Adducendus esset titulus aliquis juris (ut in Polonia); nam mera optabilitas non sufficit. [1])

6. Magis intricata, quam quae modo exposuimus, est quaestio, utrum praescriptione deleri possint jura, imprimis jura publica Ecclesiae. Tenenda videntur haec:

Primo: non potest sermo esse de praescriptione quoad jura Ecclesiae, quae sunt originis divinae. Christi enim voluntas est, ut ista jura permaneant usque ad finem saeculi; et contra Christi Domini nostri voluntatem certe nulla valebit praescriptio. Hinc illud solum quaeri potest, utrum praescriptioni obnoxia sint tum ea, quae Ecclesia jure humano acquisivit et quibus postea iterum spoliata est, tum titulus ille juris historici, qui accessit ad titulum juris divini in iis, quibus Ecclesia jure divino fruitur.

Secundo: confundi non debet cum praescriptione exstinctio juris, quae fit per interitum sive subjecti sive objecti. Si v. g. rex quidam, ab usurpatore regno spoliatus, sine ullo herede moriatur, possessio usurpatoris possit fieri legitima, quia ipse est quasi primus occupans thronum jam vacantem. Et, quantum spectat ad objecti interitum, si integrum Daniae regnum periret in undis, rex Daniae privaretur jure suo, etiamsi ipse fortasse non periret.

Atque adeo concedimus, non solum interitum physicum objecti, sed similiter interitum quasi moralem posse exstinctionem juris efficere. Applicari enim hic potest axioma istud, jus regis esse propter bonum publicum. Jam si territorium per usurpatorem quendam cum alio territorio multo majore ita conglutinatum est, ut separatio sit moraliter impossibilis, quia sine magno detrimento publico fieri non posset, concedendum forte erit, jus regis esse exstinctum. Res est similis, ac in jure Romano privato, si quis alienum tignum junxit domui suae, ita ut tignum non possit iterum solvi, dominus tigni amittit quidem dominium suum, sed injustus usurpator debet eum indemnem reddere et addere mulctam pro injustitia commissa. Sed cavendum hic

1) Cf. Syllab. 64.

maxime erit ab hallucinationibus. Moralis enim impossibilitas separandi territorium non tam facile aderit. Si vero adest, exstinguitur jus, non praescriptione, i. e. longi temporis decursu, sed interitu objecti, vel si vis morali impossibilitate restitutionis.

Tertio notandum, jus legitimum non posse urgeri, si non possit certo probari. Hoc interdum non satis attenditur ab iis, qui contra jus legitimitatis reclamant: omnia in dubium vocari, nisi admittatur praescriptio contra jus legitimum. Nequaquam omnia in dubium vocantur. Nullus rex nullaque respublica possessione sua cedere debet, nisi quis accedat, qui probet, sibi certo competere jus in ea, quae a rege vel republica ista possideantur. Haec autem probatio non semper erit facilis.

Tenendum quarto, etiam usurpatorem per ipsum possessionis factum eo sensu legitime possidere, quod non cuivis liceat eum ejicere, sed ei tantum, qui melius allegat jus, et iis, qui hunc juvare volunt. Res iterum similiter se habet atque in jure privato: fur est sine dubio injustus possessor, et dominus rei furto ablatae hanc sibi repetere potest, et quidem, si opus est, adhibita vi; non autem licet tertio cuilibet, furi novo, furto rem auferre et sibi reservare. Unde sequitur, usurpatori alicujus regni a subditis obediendum esse, quantum bonus ordo publicus servandus id exigit; subditi enim non sunt dejecti de throno, sed solus rex. Hoc sensu intelligimus, Christum Salvatorem nostrum potuisse Judaeis obedientiam erga Romanos inculcare, etiamsi Romanorum occupatio forte fuerit illegitima.

Hoc sensu ipsa Ecclesia cum usurpatoribus conventiones iniit et nomen imperatoris vel regis, quod usurpaverant, eis attribuit, quin tamen ullum per hoc fieret praejudicium de ipso jure. Saepe enim Ecclesia protestata est, se hoc modo agendi nihil velle de ipso jure decidere. [1])

Aliud est, si rex legitimus expellere vult usurpatorem; tunc enim subditi (si aliunde nihil obstat) regi, ut domino suo legitimo, se adjungere debebunt. Hoc est, quod ait Em. Cardinalis Manning: „In omni communitate, quae pro tempore opprimitur „per anarchiam, revolutionem, occupationem aut usurpationem, „quivis Christianus, et in specie Catholicus, obligatur, ut semper, „in quantum potest, omnibus juribus civilibus et libertatibus ad

1) Hergenroether, „Kath. Kirche", pag. 784 seqq.

„populi prosperitatem, ad legitimam auctoritatem restituendam et „ordinem conservandum utatur.“ [1])

Observandum denique quinto: jus legitimi regis, etiamsi non sit exstinctum per renuntiationem vel praescriptionem vel alio modo, non tamen semper exigere, et ne admittere quidem semper, ut vi armata executioni detur. Hic enim potissimum elucet discrimen inter jura ordinis publici et ordinis privati, ut illud bono publico maxime inserviat, hoc bono privato. Quum vero ne privati quidem ordinis jura liceat prosequi cum relative magno proximorum damno, multo minus hoc licet in jure ordinis publici, quale est jus regis. Rex enim in bonum reipublicae suo jure fruitur; hinc si juris prosecutio in publicum damnum vergeret, est potius omittenda. Inde autem non sequitur, jus esse exstinctum; quiescere tantum debet, donec alia adveniant tempora, quibus cum magno forte emolumento reipublicae prosecutio juris fieri possit.

7. His igitur praenotatis accedamus ad ipsam quaestionem nostram: Num jura ordinis publici, v. g. jus, quod Summus Pontifex habet in Statum ecclesiasticum, exstingui possunt per praescriptionem?

Sine ulla dubitatione respondemus negando. Rationes nostras alia occasione protulimus.[2]) Breviter tamen eas hic repetamus:

Ac primum interrogamus: Quale tempus assignandum esset huic praescriptioni? Num 10 anni? Num 100? Num 1000? Ex rei natura hic nihil determinari potest. Etiamsi igitur forte aliqualis indigentia praescriptionis adsit, non tamen habetur formalis praescriptio, nisi qua potestas publica determinet tempus. Sed ad has juris internationalis quaestiones, de quibus hic agi solet, decidendas nulla adest potestas publica, cui partes litigantes subsint, ideoque nullum determinatum est tempus praescriptionis, hinc praescriptio non habetur.

Objiciet quispiam, non requiri determinationem mathematicam; sufficere moralem. Concedimus hoc, sed dicimus, ne moralem quidem fieri posse determinationem, quum omne fundamentum sufficiens hujus determinationis desit. Si in infantibus de tempore agitur, quo usum rationis accipiant, vel de tempore pubertatis adeptae, habes aliquod fundamentum, secundum quod deficiente

1) Manning, Die kath. Kirche und die moderne Gesellschaft (germanice, Treviris, Paulinus-Druckerei, Dasbach et Keil, 1883) p. 14.

2) „Stimmen aus Maria-Laach“, t. XII. p. 100 seqq.

determinatione legali possis judicare. Plures ex judicibus, quibus v. g. de tempore adepti usus rationis judicandum erit, discrepabunt forte inter sextum vel septimum annum. Sed quantum discreparent in determinando tempore istius praescriptionis? Qui liberalismo magis dediti sunt, assignabunt forte decem annos; qui favent principiis, quae vocant, conservativis, putabunt, mille annos requiri. Hinc prorsus arbitria fieret decisio.

Huic defectui ut provideret D. Périn, professor quondam Lovaniensis, vir optime catholicus, in opero suo „Politique chrétienne" cum Fénelonio insinuat, sumendum esse tempus longissimum, quod in jure inveniatur. Sed in quonam jure? Numquid in jure Romano privato? Vel in jure criminali Gallico? Vel in jure publico Americano? Et quid, si alicubi legislatio inveniatur, quae in certis rebus etiam longissimum tempus putet insufficiens et omnem in illis excludat praescriptionem?

Sed sumamus interim jus privatum Romanum, quum Ecclesia illud aliquo modo suum fecerit; quamvis non videatur admittendum, ut in rebus tam positivis, qualis est praescriptio, jus privatum per analogiam transferatur in jus publicum. Sed utamur interim cum Fénelonio hac analogia. Tunc autem, si analogia admittitur ad tempus praescriptionis metiendum, merito exigimus, ut et reliquae praescriptionis conditiones a jure privato Romano transsumantur, hinc etiam requirantur bona fides et objectum, quod aptum sit, ut praescribatur. Quae si admittantur, vix poterit jam sermo esse de praescriptione in jure publico. Jus enim Romanum eximit a praescriptione (saltem ordinaria) res furtivas ac res vi possessas. Jam ubi est in jure publico v. g. usurpator, qui non vi possideat, vel de cujus regno rex legitimus saltem non sit vi dejectus per primum usurpatorem?

Adde, quod Concilium IV. Lateranense (1215) bonam fidem etiam magis stricte requirit, quam jus Romanum. Dicit enim: „Quoniam „omne, quod non est ex fide, peccatum est: synodali judicio diffi„nimus, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio, tam cononica, „quam civilis. Cum generaliter sit omni constitutioni atque con„suetudini derogandum, quae absque mortali peccato non potest „observari. Unde oportet, ut, qui praescribit, in nulla temporis „parte rei habeat conscientiam alienae." [1])

1) C. 20 X. de praescript (2, 26).

Ubi, jam quaerimus, est usurpator, qui non habeat „conscientiam rei alineae“? Publicae enim perturbationes ita omnium memoriae inhaerere solent, ut quilibet dicere possit: Hic est rex legitimus, ille non est. Qui ergo non est rex legitimus et tamen regni gubernacula tenet, conscientiam habet „rei alienae“, tenetur ad restituendum domino legitimo, non potest praescribere. Vetatur hoc judicio Concilii oecumenici Lateranensis.

Sed quum tanta sit Fénelonii auctoritas, ipsius volumus verba afferre. Dicit:

„Ut mundus firmitatem et nationes securitatem quandam „accipiant, duo sunt imprimis supponenda, quae sunt quasi „poli, circa quos tota vita publica vertitur. Alterum est, ut „quaelibet pax jurata inter duos principes, quod ad ipsos spectat, „habeatur inviolabilis et semper intelligatur sensu naturali et per „executionem immediatam declarato; alterum, ut quaelibet posses„sio pacifica non interrupta per tempus illud, quod jurisprudentia „exigit ad praescriptiones minime privilegiatas, evadat in domi„nium certum atque legitimum, quicunque defectus ipsi in origine „annexi fuerint. Quae regulae fundamentales nisi custodiantur, „nulla jam erit quies neque securitas toti generi humano.“

Ergo propter publicam quietem et securitatem in jure publico aliter, quam in jure privato, legitimum praebebunt jus tum pacta per metum injustum extorta tum praescriptio absque justo titulo, absque bona fide incepta? Non possumus huic assertioni adstipulari, neque magis rationi allatae. Sane concedimus, ut jam diximus, dominum legitimum nonnumquam debere abstinere a juris sui prosecutione propter bonum publicum, i. e. ne quies et securitas publica damnum capiat. Sed non ideo perit ipsum jus, neque haec dici potest praescriptio; sed usus tantum juris per aliquod tempus fit illicitus. Quodsi ratio publicae quietis et securitas per modum praescriptionis deleret ipsum jus, deberemus admittere praescriptionem non tantum longissimi istius temporis, sed interdum paucorum dierum, vel etiam horarum. Nam dominus legitimus vel uno proelio victus potest prohiberi, quominus amplius jus suum prosequatur, si inutiliter vitas multorum hominum periculo exponeret; nemo tamen propterea dicet, ipsum via praescriptionis jus suum amisisse; nemo pariter dicet, ipsi postea non licere iterum bellum incipere, si ope aliorum principum jam certa affulgeat spes victoriae reportandae et bonum publicum patriae

valde promovendi. Id autem non liceret, si praescriptione revera exstinctum esset jus.

Persistimus igitur in sententia, in jure publico internationali nullam esse praescriptionem.

Forte objeceris: „Num ergo, qui absque titulo legitimo thronum tenet, quem olim aliquis ex majoribus ejus usurpavit, tanto tempore elapso descendere de throno et cedere eum heredi legitimo debebit?“ Cur non? Si in jure privato res injuste possessa semper „ad dominum clamat“, si unusquisque in conscientia obligatur, rem injuste possessam restituere: cur non etiam in jure publico? Diuturnitas temporis utique tum in jure privato tum in jure publico saepe efficiet, ut verus dominus non possit certo inveniri; si vero invenitur, cur non ipsi restituendus est thronus, sicut fundus aliquis privatus? Certe juris aestimatio et securitas publica non acciperet damnum, si quando etiam in jure publico fieret restitutio, quae a bonis Christianis, qui conscientiae suae consulere volunt, fieri solet in jure privato.

Attamen illud habetur discrimen inter jus privatum et jus publicum, quod in jure publico moralis impossibilitas a restitutione throni vel provinciae cujus lam injuste acquisitae facilius excusare poterit. Nam jus publicum regis est propter bonum commune. Jam si restitutione oriri possit perturbatio quaedam publica, erit omittenda. Cavendum tamen, ne hallucinatione quadam moralis impossibilitas putetur, quae non est. Judex vivorum atque mortuorum quando apparuerit, non minus in aeternum damnabit eum, qui injuste occupavit nec restituit thronum, quam qui in egestate furatus est aliquam pecuniae summam.

Conclusio.

Jam paucis delineavimus, quomodo ipse Dei filius visibilem hanc, quam cernimus, Ecclesiam catholicam fundaverit et Sancto Petro ejusque successoribus gubernandam tradiderit, promittens, se cum ipsis fore usque ad consummationem saeculi.

Ecclesia mandatum suum fideliter executa est. Regna autem hujus mundi, licet pariter a Dei voluntate profecta, multifariam a fine sibi praestituto defecerunt et regno Christi bellum intulerunt. Primo jam tempore Imperatores ethnici aggressi sunt Ecclesiam; fluctus atrocissimae persecutionis in eam irruerunt, sed inconcussa stetit petra. Porro Principes medii aevi evertere studuerunt Petri navigium, sed navigium non periit. Integrae tandem nationes saeculo decimo sexto ab Ecclesia descierunt et novus quasi ortus est paganismus, qui ope societatum clandestinarum certam Ecclesiae catholicae juravit perniciem. Sed Vicarius Christi non trepidat; ei enim locuta est Veritas aeterna: „Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, „et portae inferi non praevalebunt adversus eam.“

Proinde strenue militemus sub vexillo Christi atque Vicarii ipsius. Non enim est in alio salus, neque singulis hominibus, neque universae societati humanae. Aut pereundum erit in anarchia et nihilismo, aut in vita publica populorum redeundum ad sana principia catholica.

Index alphabeticus.

(Numerus indicat paginam.)

A.

Ahrens, 134.
Albigenses, 110.
Allocutio Pii IX., 173. — Leonis XIII., 163.
America, 101, 103, 184, 196, 220.
Anglia, 97, 99, 100, 101, 103, 184, 196, 201, 222.
Antonelli, Cardinalis, 119, 221.
Apostolorum Concilium Antiochenum, 36 seqq., 65. — Modus procedendi erga potestatem civilem, 42. — Missio in universum mundum, 56, 57.
Appellatio ab abusu, 140.
Arragonia, 222.
Aristoteles, 74.
Athanasius, 61.
Augustinus, 2, 11, 19, 51, 113.
Austria, 97, 170, 213, 214, 220.
Avenionensis comitatus, 215.
Avenir, 130.

B.

Badenia, 170, 221.
Ballerini, S. J., 178.
Balmes, 104.
Basilius, 61.
Bavaria, 131, 133, 220.
Belgium, 103, 170.
Bellarminus, Cardinalis S. J., 61, 120, 128.
Benedictini, 200.
Benedictus XIV., 143, 170.
Bismarck, 75, 152, 176.
Bluntschli, 51, 104, 134, 169.
Bona externa, 195—202.
Bonifacius, Germaniae Apostolus, 196.
Bonifacius VIII. *(Unam sanctam)*, 121, 197.
Bornemann, 40.
Borussia, 87, 131, 152, 184, 187, 189, 196, 213, 214, 222.
Brachium saeculare, 108, 154.
Buttmann, 40.

C.

Calvinus, 104.
Canada, 100.
Carolinae insulae, 163—165.
Carolus magnus, 109.
Cathrein, S. J, 96, 106.
Cavagnis, 210.
Chalcedonense concilium, 61.
Cherbuliez, 202.
Chlodovigis, Francorum rex, 222.
Christi effata de Ecclesia, 47—57, 118.
Chrysostomus, 61, 122.
Cicero, 103.
Clemens XI., 164.
Clemens XII., 143.
Cleri disciplina et educatio, 187-190, 221.
Codex civilis Napoleonis, de hereditate, 99 seqq — „La recherche etc.“ 154. — De matrimonio, 174.
Codex Vaticanus, Sinaiticus etc., 39, 40.
Coelestinus V. 216.
Coemeteria, 193—195.
Concordata, 210—221, 9, 14.
„ cum Austria, Wuerttembergia, Badenia, 170; cum Gallia, 214.

Concordia inter Catholicos necessaria, 23, 24.
Concordia sacerdotii et imperii 9, 12, 18, 160.
Congregationes religiosae, 191.
Constitutionis christianae reipublicae excellentia, 9, 10.
Corpus juris canonici, 148.
Cousin, 99. 183.
Craisson, 72.
Cyprianus, 61.

D.

Danielis prophetia de Ecclesia, 47.
Danton, 98, 183.
Despotismus, 97.
Deus fons juris, 3, 13, 15, 17, 26—32.
Dove, 132, 1.
Dualismus ordinis socialis cur inductus? 146, 147.

E.

Ecclesia, regnum visibile a Christo constitutum, 33—71. — Non hujus mundi, 51—53. — Societas perfecta, 6, 7, 18, 73—76. — Statui non obnoxia, 131—144, 7, 14, 16, 187. — Obtinet hegemoniam, 117—131. — Potestas ejus generatim, 71—76. — Quadruplex limitatio potestatis, 71—73. Potestas ejus suprema, 7, 8, 152. — Constitutio monarchica, 152, 153, 217. — Pot. directa, indirecta et directiva, 8, 9., 144—150 — Pot. leges ferendi, judicandi, puniendi, 7, 150. Pot. ordinis et jurisdictionis, 149, 150, seqq. — Pot. fori interni et externi, 150. — Pot. in non baptizatos, 72. — Pot. in matrimonium, 170—181. — Pot. in familias et scholas, 181—191. — Pot. in Congregationes etc. 191—195. — Pot. in bona externa, 195—202. — Pot. temporalis, 8, 222, 225. — Eccl. rebus terrenis utilis, 1, 2, 11, 12, 16, 19, 20. — Diligenda ut mater, 22. — Curandum, ut alii ipsi obediant, 22.
Eduardus VI. rex Angliae, 201.
Ehrle, S. J., 193, 201, 202.
Elisabeth, regina Angliae, 201.
Encyclica, cf. Gregor XIII., Pius VII., Pius IX., Leo XIII.
Ephemerides, 24.
Epiphanius, 61.
Episcoporum jus in educationem et disciplinam cleri, 187—190. — Num valeant Concordata inire? 220, 221.
Equatoriana respubl., 205.

F.

Factum consummatum, 223.
Familia, quomodo subsit Ecclesiae, 181—191.
Fénelon, 229, 230.
Ferraris, 170.
Ferry, 190.
Fides non vi extorquenda, 19.
Fines regendi inter Ecclesiam et Statum, 159, 160.
Franciscus I. Galliae rex, 220.
Fridericus II. Germaniae rex, 222.
Friedberg, 136, 211.

G.

Gallia, 92, 93, 97, 99, 100, 147, 148, 170, 220.
Garcia Moreno, 205.
Geffcken, 37, 48, 50, 53, 58—63, 106, 127, 168, 222.
Germania, 94, 101, 163—165, 222.
Gerson, 114.
Grandclaude, 218, 219.
Gregorius I., 114, 115.
Gregorius XIII., 72.
Gregorius XVI., Encyclica *„Mirari vos“* d. 15. Aug. 1832, 17, 71, 115.
Grenzboten, 153.
Griesbach, 40.
Grotius, 129.
Gury, S. J., 101, 178.

H.

Haeresis punienda, 112, 204, 205.
Hase, 39, 46, 58, 64—69.
Hegel, 30, 127.
Helvetia, 202.
Henricus VIII. Angliae rex, 201.

Hergenroether, Cardinalis, 89, 102. 104, 109, 113, **114**, 117, **119**, 122, 129, 147, **148**, 153, 166, 171, 203, 210, 227.
Hieronymus, 61.
Hinschius, 64, 135, 148, 211, 212.
Hispania, 163—165, 220.
Hobbes, 31.
Hohenzollern, 87. 88.
Hollandia, 103.
Hornau, 120.
Hospitalia, 191 - 193.
Hundeshagen, 126.

J.

Ignatius martyr., 46, 187.
Immunitas, 151, 166—170, 192, 194.
Imperium Ecclesiae, 155.
„ Statuum sit justum, 3, 4.
Indifferentismus, 13, 15, 17, 104-117.
Innocentius III., 129, 147, 148.
„ IV., 222.
Interdictum, 153.
Instituta pia, 191—193.
Joannes Evangelista, 113.
Joannes XXII., 149.
Josephus II. Austriae imperator 97, 141.
Italia, 201, 219, 220, 225, 226.
Judaei, 72, 109, 111, 112.
Jurisdictio in foro externo et interno, 150 seqq. — Cf. Ecclesia, Potestas.
Jus appellationis ab abusu, 142.
„ asyli, 166, 170.
„ circa sacra, 131—144
„ criminale, 151, 153.
„ divinum (positivum et naturale), 33—208.
„ exequatur, 142.
„ historicum, 209—231.
„ „novum", 2, 12.
„ patronatus, 212, 216.
„ privatum, 151, 154.
„ processuale, 151, 154.
„ publicum Ecclesiae, 50, 152.
„ resistendi, 102—104.
„ Romanum jus cleri 151. — Agnoscit Ecclesiam, 222. — Requirit bonam fidem in praescribendo, 229.
Justinianus, 222.
Ivo Carnutensis, 12.

K.

Kant, 28, 29.
Karlowitsch, 111.
Karolus magnus, 109.
Katholik, 130.
Koehler, 38—41, 52, 53, 58, 64, 85, 128.

L.

Laacher Stimmen, cf. Stimmen.
Lachmann, 40.
Ladenberg, 213.
Lateranense concil. IV., 229.
Lasalle, 98.
Legitimitatis principium, 221—231.
Lehmkuhl, S. J., 102, 109, 169, 174, 195, 208.
Leo I., 113.
Leo XII., 143.
Leo XIII., Epistola pastoralis dioecesis Perusinae, 169.
„ „ Encyclica *Arcanum divinae* d. 10. Febr. 1880, de matrimonio, 171, 173.
„ „ Encyclica *Diuturnum* d. 29. Junii 1881., Rousseau rejicitur, 28. — Principi, licet electo, non confertur potestas a populo, 91, 224. — Ecclesiae non est potestas directa in temporalia, 148. — Eccl. vult res pacifice cum Statu componere, 160.
„ „ Epistola ad Imperatorem Germaniae d. 3. Decembr. 1882, 208.
„ „ Encyclica *Humanum genus* d 20. April. 1884, de secta Massonum, 111.
„ „ Encyclica *Immortale Dei* d. 1. Nov. 1885., de civitatum constitutione christiana, integer textus, 1—25. — Index (in quo paginae singulorum numerorum indicantur), pag. III — V.

Leo XIII., Encyclica *Jam pridem* d. 6. Jan. 1886, de seminariis clericorum in Borussia, 187—190.
„ „ Allocutio d. 15. Jan. 1886, de pace inter Germaniam et Hispaniam, 163—165.
Le Play, 93, 96, 102, 154.
Liberalismus oeconomicus, 97.
Liberatore, S. J., 169.
Libertas falsa, 13, 15, 16, 17, 19.
„ cultuum, 205.
Lingens, 94.
London, 202.
Ludovicus XI., Galliae rex, 92
„ XIV., Galliae rex, 93, 97, 164.
„ XVIII., Galliae rex, 218.
Lugdunense concil. I., 222.
Lusitania, 217, 220.
Luther, 104.

M.

Magisterium Ecclesiae, 21, 155—165.
Manning, Cardinalis, 119. 159, 228.
Manus mortua, 197.
Martens, 63.
Martin, S. J., 180.
Marx, 98
Massones, 111.
Matrimonium, 14, 170—181.
Mendelssohn, 127.
Meyer J. B., 185.
Meyer Th., S. J., 30, 87.
Mill, 40.
Mohammedani, 12, 109, 111.
Molitor, 119.
Moreno (Garcia), 205.
Mormones, 110, 180, 205.
Moulart, 89, 155, 201, 202, 210.
Moysis legislatio per Christum abrogata, 53.
Müller, 129.

N.

Napoleon I., 99.
Napoleon III., 223.
Nationalitatis principium, 225.
Neogranatensis respublica, 173.
Neoprotestantes, 113.
Nihilismus, 111.
Norddeutsche allgem. Zeitung, 152.

O.

Obedientia erga Statum, 102.
Obligationes positivae et negativae, 203.
Ordines religiosi, 191—193. — Eorum scholae, 186.
Ordo socialis quis sit, 146, 149.
Origenes, 61.
Orphanotrophia, 191—193.

P.

Palmieri, S. J., 171.
Papa, monarcha, 152, 153. — Adeundus, 205. — Ipsius doctrina tenenda, 21. — Arbiter, 161—165. (Cf. Ecclesia, Jus.)
Paritas religionum, 207.
Parentum jus in liberos 182—186. — Obligatio, 190, 191.
Pastoris boni similitudo, 54—56.
Patrum testimonia de potestate Ecclesiae, 45, 46, 61, 62, 122.
Pauli doctrina de potestate Ecclesiae, 43—45. — de bonis externis, 195, 196.
Pedemontanum gubernium, 175.
Périn, 229.
Pérocheau, 180.
Perrone, S. J., 178.
Pesch, S. J., 29.
Petrus pastor vicarius Christi, 55, 56, 66. — Fundamentum Ecclesiae, 57, 67—69.
Philippus V. Hispaniae rex, 164.
Phillips, 119.
Pius VI. C. *Auctorem fidei*, 149. — Ad Episcop. Motulens., 171, 180.
Pius VII. Encycl. *Diu satis* d. 15. Maji 1880, 117. — *Ecclesiam*, 143.
Pius VIII. Concordatum cum Gallia, 214.
Pius IX. Literae ad regem Victorem Emanuelem de matrimonio, 181.

Pius IX. Encycl. *Quanta cura*, d. 8. Dec. 1864. Ecclesiae vis in populos et Principes, 71, 115, 116. — Eccl. est independens, 142—144. — Habet jus puniendi poenis temporalibus, 153. — Rejiciuntur facta consummata, 162.

„ „ Syllabus, d. 8. Dec. 1864:

Prop. 3: Humana ratio non unicus arbiter boni et mali, 27.

„ 19: Eccles. societas perfecta, 17, 73, 74, 141, 197.

„ 20: Ecclesia non indiget venia gubernii civilis, 141.

„ 22: Ecclesiae obediendum non solum si infallibiliter docet, 157.

„ 24: Eccl. habet potest. directam vel indirectam, 149.

„ 26: Eccl. habet jus possidendi, 194, 197.

„ 28: Literae Apostolicae possunt publicari sine Stat. venia, 141.

„ 29: Gratiae Apostolicae non indigent Status interventu, 141.

„ 30: Immunitas non a jure civili orta, 167.

„ 39: Status non omnis juris origo neque omnipotens, 17, 92.

„ 41: Stat. non habet jus in sacra, appellationis ab abusu, exsequatur, 142.

„ 42: In conflictu non praevalet jus civile, 142.

„ 43: St. non potest irrita facere Concordata, 214.

Prop. 44: St. non potest se immiscere rebus ecclesiasticis, 142.

„ 45—48: De scholis, 181.

„ 49: St. non potest impedire communicationem cum Papa, 142.

„ 50: St. non habet per se jus praesentandi Episcopos, 142.

„ 51: St. non potest deponere Episcopos, subest Papae in episcopatuum institutione, 142.

„ 52: St. non potest ingressum in religionem impedire, etc., 142, 192.

„ 53: Rejiciuntur usurpationes circa familias religiosas et beneficia, 142, 192.

„ 55: Eccl. a Statu non sejungenda, 17, 204.

„ 56: Leges humanae a Deo accipiunt vim suam, 27.

„ 57: Leges civiles non debent deviare ab Ecclesia, 116.

„ 59: Jus non in materiali facto consistit, 162, 224.

„ 60: Auctoritas non mera summa virium materialium, 224.

„ 61: Fortunata injustitia laedit juris sanctitatem, 162, 224.

„ 62: Legitimis principibus resistere et rebellare non licet, 224.

„ 64: Patriae amor non reddit licita crimina, 226.

Prop. 74: Causae matrimoniales non spectant ad Statum, 171.
„ 77: Hac etiam aetate religio catholica habenda unica religio Status, 116, 204.
„ 78: Cultuum libertas non laudanda, 116, 204.
„ 79: Cultuum libertas favet indifferentismo, 17, 116, 204.
Plato, 106.
Placetum regium, 139.
Politicae res a Catholicis non negligendae, 22.
Polonia, 225, 226.
Polygamia, 205.
Potestas publica a Deo, 3, 13, 15, 17, 26—32. — Immediate a Deo 87—91. — Non necessario cum certa forma conjuncta, 3, 18. — Cf. Jus, Ecclesia.
Potestates duae supremae, 8, 146.
Praescriptio, 201, 226—231.
Primatus Petro collatus, 55-57, 66-69.
Principes non a populo constituti, 15.
Principes non possunt subscribere legibus injustis, 206.
Privilegium, 211, 215, 220.
Protestantes, quid sentiant de Eccl. 33—35.
Proudhon, 202.
Psalmi de Ecclesia, 47.
Puchta 32.

R.

Recursus ab abusu, 140.
Regnum Christi non „de hoc mundo", 50—53.
Religio a Statu colenda et tenenda, 4, 5, 13, 104 seqq. — Vera facile agnoscitur, 5, 6, 108. — Rebus temporalibus utilis, 1, 2, 10, 11, 12, 105.
Resistentia activa et passiva, 102-104.
Res spirituales, temporales, mixtae, 145.
Revue des deux mondes, 183.
Roenne, 135, 147.
Rousseau, 27, 28.

S.

Saecularisatio, 198—202.
Sanchez, S. J., 178.
Savigny, 175, 176.
Scavini, 169.
Schneemann, S. J., 122, 123, 131, 166, 170, 171.
Scholae, 14, 98, 99, 146, 158, 181—191.
Schulte, 213.
Schulze-Delitzsch, 98.
Seminaria, 141, 188—190.
Separatio Status ab Ecclesia, 17, 18, 204, 205.
Sepultura, 193—195.
Smith, Adam, 93, 97.
Socialismus, 97—101, 186.
Societatis domesticae et civilis origo, 2, 3. — Cf. Status.
Sodalitates 191—193.
Spelman, 201.
Spinoza, 26.
Stahl, 32, 118, 138, 184.
Status origo, 76—91. — Jura generatim, 91—102. — Jura circa matrimonium 178—181. — Circa scholas, 182—186. — Religiosa ejus officia, 104—117. — Subditur Ecclesiae, 71, 73, 75, 76, 117 131, 144—150, 159—165, 166. Cf. Jus, Ecclesia.
Stimmen aus Maria-Laach, 135, 136, 193, 195, 201, 211, 228.
Suarez, S. J., 89, 106, 109, 125, 169.
Suffragium universale, 224.
Syllabus, cf. Pius IX.

T.

Taparelli, S. J., 83.
Tarquini, Cardinalis, S. J., 214, 218.
Tertullianus, 23, 31.
Testamenta XII. Patriarcharum, 122.
Tischendorf, 40.
Toletana synodus, VI., 189.
Themistor, 187, 221.
Theodosius II., ad Cyrillum, 10.
Thomas Aquinas, S., O. P., 74, 104. 120, 126, 178.

Thun, 213.
Tolerantia falsarum religionum, 18, 204—208.
Trendelenburg, 184.
Tridentinum concil. de non baptizatis, 72. — De duello, 153. — De brachio saeculari, 154. — De matrimonio, 171, 177. — De seminariis, 189.

U.

„Unam sanctam“ const., 121.
Universitates ab Ecclesia erigendae. 190.
Urquhart, 161 seqq.

V.

Vaticanum concil., 156, 162, 212, 217.
Venetia, 219.
Vineae similitudo, 54.

W.

Walter, 87, 109.
Westphalia, 101.
Wuerttembergia, 170.

Z.

Zizaniae similitudo, 48, 49.

234.832 Hammerstein, Ludovico de
AUTHOR
H2242 De Ecclesia et Statu Juridic
TITLE
DATE DUE | BORROWER'S NAME
234.832
H242
Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library